

2 Ad capitis fracturam.

Herba xiphij superior pars sicca trita, & equis ponderibus mixto vino, capitis ossa fracta extrahit: aut si quid in corpore suppuratum fuerit, vel si pedibus calcata sint ossa serpentis, contra ea venena efficax est.

DE CALLITRICHŌ. Cap. 47.

Græci callitrichon, idem adianthon, idem polytrichon, idem trichomanes, idem trichophyes, alij selinophyllon, alij diphyes, alij heracleos pogon, alij hippomanes, item scolopendrion, asplenon scolibrochon, alij amianton, Latini capillum Veneris, idem herbam capillarem crinitam, saxifragam, Punicum esse sate. Nascitur locis aquis, virgultis nigris lenibus, cum splendore, bipalmis: foliis ut caryandrum, scissis in summitate.

1 Ad strumas virginum.

Herba callitrichon pisata per se, & imposta, virginibus strumas sanat.

2 Ad capillos tingendos.

Herba callitricho in oleo trita capilli uncti inficiuntur.

DE MOLY. Cap. 48.

Moly clarissima herbarum est, Homero testante, & inuentionem eius Mercurio assignante, qui naturam eius & succi beneficia demonstrauit. Radice rotunda, nigraque, magnitudine cepæ.

1 Ad matricis dolorem.

Herba moly contusa & imposta, dolorem matricis auferit potenter.

DE HELIOTROPIO. Cap. 49.

A græcis dicitur heliotropion & heliostrophion, quibusdam heliopon, aliquibus * dialion, alijs sesamon agrion, ite scorpioctonon, item heraclea, alijs sideritesis, alijs vra scorpium sine scorpuros: Propheta gonon chronu, Galli hamatten, Pythagoras * pareoron, Osthanes putagonon, Egyptij nisine, Latini vertumnium, alij mulcetræ, alij intybum, Siliaticum, alij solsequium. Nomen accepit primo, quod

æstivo solstitio floreat, vel quod Solis motibus folia conuertat. Sed est specie duplex, quarum altera maior appellata est scorpiuros, à similitudine caudæ scorpionis. Alia minor. Maior igitur nascitur in asperis locis tenui radice, ex quarum annulos quatuor aut quinque, atque ab ipsis plurimas furcas emittit, foliis ocimo similibus, paulo maioribus atque succulentis, & nigriorib. & asperis, cum flore in summitate tenui & veluti purpureo atque uncato in similitudinem caudæ scorpionis. Minor item herba species similis est supradiete. Nascitur locis concavis, foliis rotundis, semine pèdenti in acrochordonum similitudinem. Eius herba diuine ad Solis cursum floscelli se vertunt. & cum sol occidit, flores se claudunt: rursus cum oritur, floscelli se aperiunt. Nasci amat ubique locis cultis, mundis, & pratis. Facit ad remedia ista.

I Ad omne venenum.

Herba heliotropij puluerem mollissimum aut succum eius cum vino vetere optimo potui dato, mirè venenum discutit.

2 Ad luxum.

Herba heliotropij folia contusa & apposita, efficaciter sanare creduntur.

3 Ad serpentium morsus, & scorpionum ictus.

Herba solago maior desiccata, & in puluerem mollissimum redacta, in vino potui data, & ipsa contusa plaga superimposita, perfectè serpentium morsus ad sanitatem perducit, & scorpionis ictus dolorem aufert.

DE GRIADI HERBA. Cap. 50.

Nascitur in Lucania, marmoris albi colorem habens, quatuor rubicundis ornata cauliculis. Has potentias habet.

I Ad ischiadicos.

Herba grias cum adipe ursino contusa, & quasi malagmatis

matis genus imposta, ischiadicos tertia die sanat.

2 Ad omnes corporis dolores.

Herbæ griadis radix pisata & imposta, omnes dolores mirabiliter sedat.

DE POLYTRICHO. Cap. 51.

Græci polytrichon, alij adianton, alij trichomanes, alij ebenotrichon, alij eupteron, Egyptij ethui, Romani tincinalem, alij terræ capillum, alij supercilium terræ vocant. Nascitur in parietibus & humorosis locis. Hæc etiam herba callitrichon appellatur, de qua superius loquuti sumus, & quam antea posuimus.

1 Ad coli dolorem.

Herbæ polytrichi, quæ habet ramusculos quasi seta porcina, folia cum piperis granis nouem, & seminis coriandræ granis nouem. simul contrita cum vino optimo dabis bibere intranti in balneum. Facit & ad capillos mulierum nutriendos, si in oleo decoquatur.

DE HASTVLA REGIA. Cap. 52.

Hastula regia Græcè moloche agria dicitur.

1 Ad dysentericos.

Herbæ hastule regie radix cum vino trita potui detur dysentericis, statim sentient beneficium.

2 Ad ventris fluxum restringendum.

Herbæ hastule regie semen mixtum, cum aceto acerrimo potui datum, ventrem constringit.

DE PAPAVERE SYLVATICO.

Cap. 55.

Græci mecona ceratitin, alij aphroden, alij heraction, alij mecona agrion, alij mecona rhæada, alij anemonen & anemion, alij oxytonon, alij profopon, alij lethen, alij lethusan, alij oniron, Propheta basilicon persephonion appellat. Itali papauer album, papauer nigrum, papauer agreste, papauer syluaticum, folliculosum. Mecona Latini papauer dicunt. Eius alia est vsualis, quæ etiam folliculosa

vocatur: alia agrestis, & aliter rhœas appellata: siquidem ex ipsa fluit succus, quem appellant opium, vel quod facile florem dimittat. Alia ceratitis, siue aphrodes. Est igitur vsualis longioris capititis, atque semine albo. Agrestis verò, quæ rhœas appellatur, est capite sessili, semine nigriore. Alia aridior atque agrestior, cuius caput longius, atque flores rubri vel albi, semen fuluum, radix subalbida, longa, minimi digui robore, & colligitur verno tempore. Ceratitis verò nascitur in litoribus erecto thyrso atque hirtio, folijs insectis, hirtis, albis, flore pallido, fructu paruo uncatò vt cornu, semine nigro, paruo, radice valida, nigra, atque in superficie terræ. Item aphrodes, quæ appellatur heraclios, ex omni parte alba est: eius semen colligitur æstiuo tempore aridum.

I Ad epiphoras oculorum.

Herba papaueris syluatici fructum, id est, caliculos cum suo semine pisatum cum aceto oculis impones: sedabit dolorem.

2 Ad hemicranium & capititis dolorem.

Herbam papauer syluaticum pisatam cum aceto fronti impones, sedabit dolorem.

3 Ad eos qui non dormiunt.

Herba papaueris syluatici succo si quem perunges, seminum ei cum sopore obijciet.

DE OENANTHE. Cap. 54.

I Ad stranguriam.

Herba oenanthes radicem in puluerem redactam dato ad stranguriam in vini cyathis duobus: summe facit.

2 Aduersus tussim.

Oenanthes herba radicem dabis potui, vt supra: tussim sedat.

DE NARCISSEO. Cap. 55.

Narcissus à Græcis dicitur aneydros, autogenes, bolbos emeticos, Aegyptij emptonem, Propheta cynoglossan, Latini

ini bulbum vomitorium vocauerunt. Nascitur thyrso bipalmi, folijs porri similibus, sed paulo breuioribus, flore albo, interius croceo, vel in aliquibus purpureo, fructu siue semine ut in membranula nigro, * imagine bulbi.

1 Ad vulnera quæ ex se nascuntur.

Herba narcissi radix contusa cum oleo & farina, vice cataplasmatibus imponitur vulnere, & sanat mirifice.

2 Ad phthificos vel colicos.

Herbam narcissum tusam & potui datam, colicis vel tuſsientibus prodesse dicimus. Si autem volueris oleum facere, herba narcissi florem in oleum mittes, & perunges infirmum: miraberis rem certam.

DE SPLENIO ET LONCHITIDE.

Cap. 56.

Græcis dicitur lonchitēs, aliis hemionion, alijs scolopendron, alijs phrygia, alijs phrygitis, alijs philtrodotes, alijs teucrion, Propheta hema gales. Lonchitis folia habet rubra, flores nigros, comicorum vultibus hiscentibus similes, semen album simile lanceæ, latum, radicem similem dauici. Alijs virtutibus traditur etiam alia lonchitis similis scolopendria, cum aceto spleneticos medens in potu data.

1 Ad splenis dolorem.

Herba spleny radicem pisatam, & in puluerem mollissimum redactam, vino leniore potui dato, summam rem experieris. Constatque eam sic esse inuentam. Quum exta in sacrificio super eam essent proiecta, ferunt adhesisse leni, eumque exinanisse: propter hoc à quibusdam splenion vocatur. Item narrant quidam sues, qui radicem eius edierint, sine splene inueniri. Quidam ramis hyssopi surculoſam, folio fabæ eodem nomine appellant. Legunt autem eam dum flores, maximèque ex Cilicia & Pisidia montibus laudant.

DE POLIO. Cap. 57.

P 23

Græci polion, alij pseuxaspidion, alij achemenin, alij libanitin, alij melosmon, alij belion, alij leontocaron vocant, Ægyptij cathotis, Latini conulam, Martialis neptuniam. Due eius sunt species: alia est fruticosa atque inutilis, altera sylvestris frutice bipalmi, albo, folijs tenuibus, semine pleno, cum capitello in summitate paruulo, comoso, veluti cana capillatur a frangenti odoris grauissimi cum quadam incunditate. Nascitur locis asperis.

I Ad lunaticos.

Herbam polion conteres, & succum eius commiscebis cum aceto scyllitico, & perunges eos, curabuntur. Item pilulam eius & radicem in linteolo mundo, circa collum eius qui patitur, ligabis. Experimentum est valde optimum, Nos ipsi experti sumus.

DE VICTORIALA. Cap. 58.

Eupelios Græcè, daphnoides, hypoglossion, eupetalon, diglossos, nicephyllon, pelleon, Idea daphne, Samothracia daphne, Alexandrina daphne, nitrion, danaë, stephane alexandru, chamedaphne, carpophyllon, daphnitis: Latine peruinca, victoria folium, laurus Alexandrina, Macedonica, laurago, mustellago, terrestris vocatur. Frutex est sepius cubitalis, folijs ut myrtus, paulo maiorib. atque teneriorib. & non infractis, gustu remordentibus & incendiofis. His prædita est virtutibus.

I Ad phlegmata incidenda.

Herbæ victorialæ folia pisabis, & succum eius cyathis duobus dabis cum melle bibere ieiuno, mox phlegmata intercidet.

DE CCNSOLIDA. Cap. 59.

Græci xylophyton, symphyton, anachylin, anazetesin, Democritus hernostasin: Latini conferbã, consolidã, inulã rusticã, Galli alum. Alia est petrosa, lignosa omnis, incundi odoris, atque salinã prouocans, ramis origano & capitellis thymi similibus, radice longa, fulua, in robore digitali.

gitali. Est & altera quæ appellatur etiam pectis, habens thyrsum bicubitalem, geniculatum, inanem, in quo folia hirta, angusta & veluti longa cum adnationibus secundum geniculo, flore nigro, fructu siue semine floccorum corticis simili, pruritur mouete radices exterius nigras, interius argillosas, virtutis densabilis.

I Ad profluuium mulierum.

Herba consolidæ puluerem molissimè contritum potui dabis in vino, mox restringet.

2 Ad conuulsos vel intus ruptos.

Herba consolidæ radicem in cinere tepido coquito & ex melle ieiuno dabis ut edat sanabitur, & thoracem totum purgabit.

3 Ad stomachi dolorem.

Herbam consolidam si cum oxycaro edat, magnum beneficium sentiet.

4 Ad tussim.

Herbæ symphyti radices in caldaria decoques cū melle & pipere & castoreo ad quartas & in vino vetere ieiuno dato in potu. Hæc herba hoc argumentum habet, ut carne bubula concisa, & in caccabum missa, eius radices si miseris drachmas duas, cocta caro in unum coherabit.

DE ASTERIO. Cap. 60.

Græcorum aliqui asterion, alij asteriscon, alij aster a atticon, quidam bubonion, alij hyophthalmion vocarunt: Latini inguinalem, Punici derdum. Herba est lignosa habens virgas, & florem in summitate nigrum, tanquam anthermidis herbæ, capitellum ambitum foliolis stelle similibus, sed in thyrso folia longiora atque hirta, vel crassiora, & est laxatiua virtutis. Nascitur ubique inter petras & loca aspera. Hæc herba noctu tanquam stella in cælo sic lucet, ut qui viderit, ignorans dicat phantasma se videre, & mens plenus irridetur. Maxime autem à pastoribus pecorum inuenitur. Adhibetur denique inguinum tumoribus.

I Ad caducos.

Herbae asterij baccas si dederis manducare caduco luna decrescente, quum erit signum Virginis, & ipsam herbam laborans habeat in collo suspensam, remediabitur.

DE LAGOPV, HOC EST, PEDE, LE-
PORIS. Cap. 61.

Græci lagopum, Romani vocant eam herbam benedictam, leporinum pedem. Lagopus Græcis à similitudine pedis leporini dicta. Nascitur in pratis.

I Ad ventrem stringendum.

Herbam leporis pedem siccata, & in puluerem redactam, dabis potionem in vino non febricitanti, febricitanti vero in aqua calida, & mox ventrem stringet.

DE DICTAMNO. Cap. 62.

A Græcis artemedion appellatur, aliis cretice, alijs ephemeron, alijs *eldia, alijs beloacos, alijs belotocos, alijs dorcadion, alijs eubolion, alijs dipsacos, Italis *ustilagorustica, alijs labrum Veneris, Aegyptijs emenypse. Nascitur in insula Creta, monte Ida, folijs similibus pulegio, sed paulo maioribus, atque floccosis vel lanugineis adnationibus, & neque florem generat neque fructum. Item alia huic similis, quæ appellata est pseudodictamnus: nascitur plurimis in terris, similis acrimonia dictamni. Memoratur etiã tertia species apud Cretam dictamni, cū folijs similibus sifimbry, maioribus ramis & flore nigro, molli, similis virtute pseudodictamni. Harum denique multo efficacior est prima.

I Ad mulierem, si in vtero mortuum foetum habuerit.

Herba dictamni succum, si absque febricula fuerit, cum vino dabis bibere: si autem febricitat, dabis cum aqua calida, mox eiciet foetum sine periculo.

2 Ad plagas siue ferro, siue à sude, vel à serpentibus factas.

Herba dictamni succū in plagam infundat, & aliquid bibat, mox sanabitur. Ad serpentū autem morsum succum eius in vino bibat, & mox discutit venenum.

3

Si quis venenum sumpserit.

Herba dictamni succum cum vini hemina in potu sumat, mirificè facit. Tanta autem virtus est dictamni, ut non solū interficiat ubicunq; fuerint serpentes presentia sui, sed & si odor eius à vento sublatus fuerit, ubicunq; eos tetigerit, mox occidet. Fertur & hoc exemplū: Si caprea vel cervus in venatione telo percussus fuerit, quum peruenit ad herbam dictamnium, & ea pascitur, mox telum excutitur è plaga, & sanatur pascendo dictamnium.

4

Ad vulnera recentia.

Herbas dictamni & argemoniam & ambrosiam contritas cum butyro plagæ imposito, miraberis in omnibus dictamni effectum.

5

Ad vlcera & nomas.

Herba dictamnium imposita, vlcera, & putres nomas, & purgare & explere dicitur.

DE SOLAGINE MINORE. Cap. 63.

Herbam solaginem minorem, alij heliotropion appellant. Nascitur locis concavis, & cetera, ut supra cap. 49.

I

Ad lumbricos necandos & excludendos.

Herba solago minor siccata, & in puluerem redacta, & in aqua calida potui data, lumbricos occidet.

DE PAEONIA. Cap. 64.

Peonia à Grecis appellatur pentorobon, alij glycis, alij agloophotis, alij paonion, alij selemion, alij menion, alij panacos ceras, alij selenogonon, alij dichomenion, alij gludim, alij menogenion, alij theodonion, Itali peoniam, alij rosam fatuinam vocant. Peonia nomen inuentoris retinet. Nascitur Crete & Sicilia montibus, quæ Homerus, sacer autor, libris suis inseruit. Hæc herba in extre

nis bacculas habet amygdalixis similes, in quibus sunt gra-
ma cocco similia ad acinorum mali granati magnitudinē,
que noctu lucent tanquam lucerna. Plurimum noctu à pa-
storibus inuenitur & colligitur.

I Ad lunaticos,

Herba pæonia si lunatico iacenti ligetur in collo, statim
se leuat sanus. Et si eam secum portauerit, nunquā ei hoc
malum accidet.

2 Ad ischiaticos.

Herba pæonia radice partem alligabis lino, eumq; qui
patitur circumcinges, res est saluberrima. Et si eam in na-
ui habueris, tempestatem compescit, si mundus ea utaris:
est enim mirabilis.

DE PERISTEREO. Cap. 65.

Græci peristereon orthion, alij trigoniō, alij bunion, alij
hierā botanen, alij philrodoten, Egyptij thiophenges, Pro-
phætæ heras dacryon, alij herna gales, alij herna hermu, Pu-
nici zimicum, alij azirgozol, Itali cristam gallinaceam, alij
columbinam, alij ferrariam, alij exuperam matricalem,
alij herculaniam vocarunt. Vtique peristereon herba, siue
supina siue recta, nascitur ubique in planis & aquosis lo-
cis, radice simplici atque thyrso. Sunt autem ea columbis
esca admodum iucunda & familiaris, unde & hoc nomen
habent, & columbina dicuntur.

I Ad omnia venena.

Herba peristereei tritum puluerem si quis potum in vi-
no acceperit, omnia venena discutit. Quidam dicunt, quòd
& magi ea in arte sua utuntur, primum Homerus, deinde
Mithridates: & cum centauria potui data, omnia mala
medicamenta expellit, per aluum deducens.

DE BRIONIA. Cap. 66.

Græci brioniā, chelidonion, & melothron, & archezo-
stin siue apeiastellum, Itali unam taminiā, vitem albam,
agrisfolium, dentariā, Egyptij thodona, dardiadana, Syri
buc-

bugadesi, dinuprila, Daci dochlea appellauère. Herba brionia, virgultis atque folijs & corymbis vt vinfera vitis, sed omnibus hirtis, quæ se colligat vicinis fruticibus, fructu siue semine botruoso, longo, raro, fuluo, quo etiam tergo-
ra depilantur, thyrsos emittens prima informatione è radice qui sunt asparagis similes.

I Ad splenem.

Herba brionia in cibo data lienosis, per urinam lienem digerit & emendat. Hæc herba tam laudabilis est, vt in theriacas etiam potiones mittatur. Item si in capite vel in cinctu eam tecum portaueris, nulla mala te contingent.

DE NYMPHÆA. Cap. 67.

Græci nymphæam, proteam, caccabon, lotometrâ, rbopalon, androgynon, hydragogen, heracleon, Andreas nerion, Latini matrem herculaniam, algam palustrem, papauer palustre, clauum Veneris, digitum Veneris, aqua ductam dixerunt. Nascitur in aquis * stagnantibus, itaque inde nomen sumpsit, thyrso nigro, leni, folijs similibus herbæ ciboriæ, aquam ex parte superantibus, flore pallido, fructu siue semine lato, denso, atque gustu argilloso, radice stipidosa, nigra, acerrima. Est præterea alia nascens in Peneo Thesaliæ flumine, cuius flos niger est: radix alba & aspera.

I Ad dysentericos.

Herba nymphæa semen cum vino tritum in potu detur dysenterico, sanabitur mirifice. Item radices eius rades, & dabis manducare dysenterico diebus decem, curabitur. Item si succus cum vino anstero datus fuerit, ventris fluxum restringet.

DE CIRSIO. Cap. 68.

Græci cirsiion, alij acanthion, Latini spinam mollem appellant. Herba cirsiion thyrso est bicubitali, trigono inferius, summitate rotundo, cum thyrsiculis purpureis atque canescentibus, folijs hirtis, radice, vt Andreas memorat,

varicum dolores medente.

I Ad faucium dolorem.

Herbam cirsion cū sua radice si quis in collo portauerit suspensam, fauces ei nunquam dolebunt.

2 Ad interaneorum dolorem.

Herba cirsii tusa succus expressus & potui datus, interaneorū dolorem mirificè sanat. Lege eam mense Maio.

DE ISATIDE. Cap. 69.

Graci isatim, Prophetæ apision, Latini alutam appellauerunt.

I Ad morsum serpentis.

Herba isatidis folium contritū in aqua, & in plaga positum, adiunat, & dolorem tollit.

DE SCORDIO. Cap. 70.

Graci scordion, pleuritum, scordilon, dysosmon, calaminthen agriam, mithridation, Prophetæ hema podontos, hema ictinos, Latini trixaginem palustrem. Scordion habet thyrsos quadrāgulos: folia sapore red arguentia, quæ Graci stipica vocauerunt, amara, & odorem aliquem alij reddentia: flore rubro, & est virtutis mictualis.

I Ad neruorum dolorem.

Herba scordion trita, & cū oleo laurino subacta, dolorem tollit inuncta.

2 Ad serpentium morsus.

Herba scordion coquatnr, & detur ius eius cum vino potui: ipsa autem contusa in plagam imponatur, dolorem tollit.

3 Ad cottidianas, vel tertianas.

Herba scordion alligata circa corpus hominis, tollit cottidianas, vel tertianas.

DE VERBASCO. Cap. 71.

Graci phlomon, pycnitin, lichnitin, Latini verbasco vocant. Sunt eius species prima due. Harū est altera nigra, altera alba: cuius altera masculus, altera femina. Fæmi-

na igitur est radicis contorta, longitudinis cubitalis: thyrso tenero, leniter hirtio: folijs coliculi similibus, sed hirtioribus atq; albidis: flore viridi, & semine nigro. Masculus vero albidioribus folijs atque angustioribus, & fructu siue semine tenuiori. Item nigra folijs est latioribus atq; nigris. Item agrestis flore nigro, folijs herbae salviae similibus, virgis celsis. Item phlomidis appellatae sunt duplices, hirtae, terrae inherentes, rotundifoliae. Item quae appellatur lychnitis siue thryallis, quae nocturnis luminibus aptatur, folijs pinguibus. Sed omnium radices sunt virtutis redarguentis, hoc est stipticae. Nascitur locis sabulosis & aggeribus. Hanc herbam dicimus Mercurium inuenisse, & Ulyssi dedisse: cum deuenisset ad Circen, ut nulla maleficia eius timeret.

I Aduersus occursum malos.

Herbae verbascae virgulam qui se cum portauerit, nullo metu terretur, neq; bestiae, neque occursum mali molestabunt hunc.

2 Ad podagram.

Herbae verbascae contusa atque imposita, infra paucas horas dolorem efficaciter sedabit, ita ut etiam ambulare queat. Hanc impositionem auctores praecipui proficere affirmant.

DE HERACLEA, siue SIDERITIDE. Cap. 72.

Graeci heracleam, idem sideritin, idem buphtalmon, idem scorpiuron, idem curitin, idem aristerion, Latini ferrariam, alij cristam gallinaceam, alij herculaniam, alij exuperam patricalem vocant. Habet species tres, quarum altera thyrsis quadrangulis, redarguentis virtutis, nodis per intervalla variegatis, semine nigro, folijs asperis, & vocatur speciali nomine heraclea. Alia ramulis tenuibus, bicubitis, folijs ex utroque alternatis, atque in summitate sui scissis, cum capitellis in summitate ramorum

semineplenis. Tertia mollibus thyrsis, subalbidis, lenibus: flore phæniceo, paruo atque argilloso: folys coriandri similibus. Sed omnium supradictarum herbarū folia sunt virtutis glutinativa recentium vulnerum.

I Si quis in via tutè vult deambulare.

Herbam heracleam si tecum in via portaueris, latrones non timebis.

DE CHELIDONIA. Cap. 73.

Græcè chelidonion appellatur, Latine hirundinina. Eius species dua. Alia maior, alia minor, quæ etiam appellatur pyran agrion. Sed maior est tenuissimo thyrso tanquam scenigræci, cum folys impactis suis virgultis, mollibus atque subalbidis, circa quæ flores nigri. Succum facit croceum atque acriorem, & mordacem sensim, & amarum: fructum tanquam ceratia porrectiora atque tenuia, in quibus semina papauere maior a: item radicem ex una in plurimas euntem, atque in inferiores partes. Siquidem nomen chelidonia sumpsit ex hoc, quòd eo tempore semper florescit quo hirundines præsto sunt, quæ Græci chelidonas vocant, vel, ut quidam memorant, quòd nidis suis eandem hirundines ferant ob acuenos succedentium visus.

I Ad caliginem oculorum & scabredinem, & qui vulnera habent in oculis, & albuginem oculorum.

Herbæ chelidonia radicem pistabis cum vino vetere, & melle Attico, & pipere albo: & cum inuicem bene contritum fuerit, inunges deintus, caliginem discutit: ipsi experti sumus. Quidam de succo eius oculos sibi inungunt. Item caligantibus oculis succos eius vel flores expressos & mixtos cum melle Attico in vase æreo, leniter cineri feruenti commixtos de coctis que, singulare remedium ad caliginem oculorum facere certum est. Quidam succo tantum utuntur.

2 Ad parotidas.

Chelidonium cum axungia trita imponatur, sed ante aqua foueto.

3 Ad auriginem.

Herbam chelidonium trita cum aqua bibat, miraberis effectum.

4 Ad ambustum.

Herbam chelidonium cum sepo caprino conteres, & impones.

5 Ad capitis dolorem.

Herbam chelidonium ex aceto contritam illinito fronti & capiti.

6 Ad dentium dolorem.

Herba chelidonia radicem & cupressi folia trita, & tedam masculam aceto decoques, & tepesactum gargarizet.

DE STRYCHNO, siue SOLATA.

Cap. 74.

Græci strychnon hemeron, agria staphylen, thalian, manicon, perisson, anhydron, mâten, dorycnion, moly vocant: Latini bellonarium, vaticâ, apollinariam, somniferâ, strumum, cucullum. Strychni species sunt quatuor: quarum vocatur prima hortualis, que est odoris incundi, cum frutice crebro, fruticoso, & foliis nigris, maioribus ac latioribus ocimo, cum semine rotundo viridi aut nigro. Alia cacabum appellata, quâ Latini strumum appellauerunt, siue soporiferâ: & est foliis latioribus à prescripta, cum thyrsis post augmentum ultra terræ vicinitatem inanibus, & fructu siue semine in folliculis rotundis vesicæ similibus incluso, fuluo, rotundo, leni, simili vuarum acinis, quo etiâ coronarum venditores utuntur. Tertia, est que vocatur hypnotice, siue ut alij strychnon melanon, vel thalia, vel anhydron, agria staphyle, manicon, perisson, Latine bellonaria, somnifica. Frutex est, nascitur in petrosis locis, ra-

mos plurimos pandens stipidosos, & difficile fragiles, folijs plenos, ut mala cydonia, floribus rubris, & non minimis, semine in cannis, quas Graci lobas appellant, croceo: radice cū rubro cortice. Quarta est, quae appellatur manice, sed Latine furialis, eo quod furorem excitat. Nascitur in collibus, vel montuosis locis, thyrsos emittens decem vel duodecim vlnarum, siue, ut Graci, orgyrorum, cum folijs eruce similibus, sed paulo latioribus, superposito capite hirtio velut platani sphaera, sed maiore ac latiore, & flore nigro, cū quo semen siue fructum botruosum, rotundum, nigrum, habentem acinos decem.

1 Ad ignem sacrum.

Herbae strychni succus expressus cum aceto super illinitus, ignem sacrum mirifice curat.

2 Ad tumorem corporis.

Herbam solatam tusam, & cum oleo subactam impone, prodest.

3 Si mulier laborat inferius.

Herbae solatae succo se sublaueat.

4 Ad aurium dolorem.

Herbae solatae succum cū oleo * cymicino misce, & repetitum stilla in aures.

5 Ad dentium dolorem.

Herbae solatae baccas commanducet.

6 Ad sanguinem de naribus fluentem.

Herbae strychni succo lana intincta nares obtura, sanguinem mirifice stringit.

7 Ad alopecias.

Herbae strychni succus expressus cum aceto, & superillinitus, alopecias mirifice curat.

8 Ad capitis dolorem.

Herba strychnon cum oleo rosaceo, calefacta & stillata, mirifice capitis dolorem tollit.

DE SENEZIONE. Cap. 75.

A Græcis erigeron, geronteæ, hydrogeron vocatur, Latinis senecion. Thyrsum habet cubitalem, rubrum, cum tenuibus folijs leuiter in summitate scissis, & florib. nigellis, primo tempore celeriter scissis ac florentibus summo tenuis velut in canis, quos Græci pappus appellat, nos auos vocare possumus. Deniq; erigeron Græcè nominatur, quòd verno tempore canescat eius flos, ac tenuetur tãquam capillatura. Habet radicem tenuem atque inutilem. Nasctur in tectis, & circa parietes.

1 Ad vulnera quamuis vetustissima.

Herba senecion tusa & subacta cum axungia vetere, & imposita mirificè sanat vulnera.

2 Item ad vulnera.

Herba senecion, si mane eam adorans ex terra colligas, & tudas cum axungia vetere in plagã imposita, plagam aperit & expurgat. Item si eam simili more post meridiem colligas, & cum axungia vetere misceas, imposita plaga, aperit & persanat.

3 Ad pedum tumorem, & dolorem neruorum.

Herba senecion pistata cum axungia vetere, pedum dolorem tollit, & neruorum potentissimè sanat.

4 Ad stomachi dolorem.

Herba senecionis flosculi cocti bene & subacti, imponantur ut malagma stomacho, summè dolorem sanant.

5 Ad lumborum & coxarum dolorem.

Herba senecion per se trita, & ieiuno in potu data, valè dissimè prodesse fertur.

6 Ad podagram.

Herba senecion trita cum sale, & ut malagmatis genus apposita pedibus, aequè proficere certum est.

7 Si quis ferro percussus fuerit.

Herba senecion tusa cum axungia vetere sine sale, & facta quasi cerotum, & in plaga imposita, faciliè vulnus ad sanitatem perducit.

DE FILICE. Cap. 76.

Græci pterin, Latini filicem nominant.

I Ad vulnera.

Herbae filicis radicem pistatam in vulnus pones, & argemonia drachmas duas cum vino potui dato, mirificè curat.

2 Ad ramicem puerorum.

Herbam filicem, quã in radice esculi arboris inueneris, tunde eã cum axungia, & pãno inducens impone, & fasciã sursum versus ligabis, quinta die sanabitur.

3 Ad dolorem femorum, vel suræ.

Herba filice fumigabis loca. Item infantem languidum, si ex ea fumigabis, faciliè conualescet infans.

4 Ad splenem.

Herba filix cum radice sua decocta vsque ad tertias, & potui data, splenem consumit.

DE GRAMINE. Cap. 77.

Græci agrostin, alij hæmatico, alij amaxitin, alij agichon appellat: Latini gramen, alij affefolium, alij uniolã. Agrostis foliis parui calami similibus, atque virgultis per terrã serpētibus, geniculosis: radicibus geniculatis, dulcibus, atq; vulnerum virtutis glutinativæ. Harũ decoctio potui data, urinã mouet. Est & alia, quæ calam. agrostis appellatur, maior suprã dicta, hoc est agrosti: sed est melior in Parnasso nata, cuius flos urinam commouet, & eius radicis succus acuit visum.

I Ad splenis dolorem.

Herbam gramen decoques, & cum ea florem teres, & in panno linses, & pones super splenem, mox sentiet beneficium.

2 Ad

2 Ad epiphoras oculorum.

Herba gramen, quæ in se trifurcium habet, (nam & in plura diuiditur) de crescente Luna sublata plurimum valet. Repositam habeto diligenter, exinde lippire incipientibus ad collum ligato, celeriter imminentem epiphoram discutere & sanare dicimus.

DE GLADIOLÒ. Cap. 78.

Græci xiphion, alij phasganion, alij limnicen, alij machrophyllym, alij anactorion, alij arion, Latini gladiolum segetalem, & linguam ceruinam vocant. Est folijs gladio similibus, thyrso cubitali, floribus purpureis, radicibus duabus, paruulis, rotundis, altera in altera nata: quarum superior maior est, & acrioris virtutis.

1 Ad vesicæ dolorem, & ad eos qui vrinam non faciunt.

Herbam gladiolum effodias, siccatum corticem radicis eius conterito, & cum vini cyathis duobus & aqua calida cyathis quatuor immisces, & sic potui dabis, miram rem experieris.

2 Ad splenis dolorem.

Herbam gladiolum maturissimam lectam & siccata, & in puluerem mollissimum redactam, & in vino leuissimo mixtâ, potui datâ, mirificè dicimus splenem desiccare.

3 Ad coli, vel præcordiorum dolorem.

Herbæ gladioli baccas tritas ex caprino lacte (melius est asinino) repositas dato bibere, desinet dolor.

DE ROSMARINO. Cap. 79.

Libanotis alia est coronalis à * Forano appellata: item ab alyis icteritis, quam Latini rosmarinum appellant, tenues nutriës virgas, in quibus folia longa, tenuia, viridia. Alia est fructifera, quam etiâ Zeam* Foranus appellat, siue chamedyosmon, canchryn oxean, cãpsanema, macerinthê Prophetæ, Daci draconthos, Aegyptij semen, Zoroaster* theopnoen; Latini salutarum. Folia fœniculi similia.

sed aspera & rotatum terra prostrata, & boni odoris, thyrso cubitali, furcoso, cum umbraculis in summitate, in quibus fructum siue semen plurimum, album, angulosum, ac resinam resipiens, & cum fuerit masticatum feruorem commouens. Vocatur etiam canchrys semen suprascriptum: radicem verè tenuem formatam, thuris odorem simulantem. Alia infructuosa, que in ceteris suprascripta similis, sed neque thyrsum emittit, neque florem, neque semen: vocatur etiam ab alijs psoranthemis, taurorhithalmon, parthenion, vel, (ut Ægyptij) sacatos, item Prophete aposthenos, hydroselinos, Latini malum lentum, Thuscis susinum. Alia numero quarta, que similis est suprascriptis duabus, vocatur à quibusdam malobathron, ebefalutis, Latini ros terra, Ægyptij nacosthon, Prophete diosspneuma: semen nutriens circulatum, nigrum, odoratum, non incendiosum, radicem interiùs habens albam, exteriùs nigram. Sunt autem communiter omnes virtutis feruentis acerrime, magis in radicibus. Nascitur locis maritimis, & hortis. Antequàm thus sciretur, hac herba homines Deos placabant.

1

Ad dentium dolorem.

Herba rosmarini radix commanducata, dentium dolorem tollit: vel si succum eius in dente tenuerit, mox sanabitur.

2

Ad languentes.

Herba rosmarinus trita cum oleo languidum perunges, mox sanabitur.

3

Ad pruriginem in corpore.

Herbam rosmarinum terito, & succum eius cum vino vetere & aqua calida per triduum dabis bibere, sanabitur.

4

Ad hepatis, vel interiorum dolorem.

Herba rosmarini fasciculum cōcoques ex aqua, adicies illi amomum pusillum, ut spica nardi, & palmulas duas,

ruta

ruta coliculorum: in se coque, & aquam earum dabis bibere, sanus fiet.

5 Ad tussim.

Herbam rosmarinum cum piperis granis centum, mellis uncis duabus teres, & facies pastillos, & dabis unum mane & unum sero cum dormitum vadit: tussim sedat.

6 Ad interiorum dolorem.

Herbam rosmarinum viridem, aut aridæ puluerem dabis ut supra: mirificè facit.

7 Ad albuginem in oculis.

*Herba rosmarini * succum commisces cum melle Attico, & inunges, liberaberis.*

8 Ad vulnera recentia.

Herba rosmarinum contusa cum axügia, imposita optimè facit.

9 Ad tertianas.

Herbam rosmarinum contusam in calida aqua sub accessione dabis.

DE PASTINACA. Cap. 80.

A Grecis dicitur agrios staphylinos, alijs ceras, alijs dancion, Itali pastinacam rusticam, erraticam, & syluaticam. Nasctur in locis saxosis & aggeribus. Alia est hortualis siue seminalis, & viribus imbecilla. Alia agrestis, quæ appellatur etiam à quibusdam ceras, eo quòd cornu fingar: habet comam ut fœniculus, thyrsum tenuem, asperum, in quo umbraculum, & flores paruos tennes, quorùm in medio croceum germen, purpurei coloris, radicem bipalmem, robore digitali, odore incundam.

1 Ad mulieres, quæ partu laborant, & non purgantur.

Herbam pastinacam syluaticam decoquant, & de aqua eius se fomentent, sanabuntur.

2 Ad purgationem mulieris.

Herbam pastinacam syluaticam decoques, & cū eadē

aqua ubi cocta est, grana piperis trigintaquinque commisces, & dabis bibere, mox purgabitur. Faci autem, ut supra scriptum est, & ad dentium dolorem.

DE PERDICALI. Cap. 81.

Herbã perdicalem, Graci lysimachion, sideritin, alsinẽ, helxinen, parthenion dicunt: Latini muralem & parietariam, alij herculanã, alij vrceolariam, alij vitriaria appellat. Sed nomen sumpsit à perdicibus, siquidem ipsa ea aluntur. Vocatur etiã heraclia, & ixinos agrion, & alyis, & clybatis, & polyonymos. Nascitur in turribus vel parietibus. Habet thyrsos tenues, fruticosos, rubros, in quibus semina aspera, & folia linozosti herbæ similia, rotundiora tamen atque hirsuta & aspera, qualitate remordentia atque coherentia: est enim, ut Graci aiunt, virtutis stiptica. Denique ad similes causas, ac similiter ut arnoglossos herba adhibetur.

I Ad podagram.

Herba perdicalis coquatur in aqua, & ex eadem aqua fouebis pedes vel genua: deinde ipsam herbã tusam cum axungia impones pedibus, panno inductam, vel super genua, sanabit mirẽ. Nascitur in parietib. aut macerijs aut aggeribus.

DE MERCVRIALI. Cap. 82.

Mercurialis à Gracorum alyis linozostis arrhen, alyis hermubotane, alyis argyros, alyis argyritis, alyis arithryillis, aliquibus parthenion, quibusdã thelicon, alyis orchion, & chrystitis, arguminosque appellata est, Aegyptij aphlopho, Propheta hermu basilion, Itali mercurialem & testiculatam. Frutex est bipalmis, folijs ocimi similibus, atque ramis inanibus, cum furcis plurimis atque densis. Et est fœmina maior, quæ appellatur etiã theligonon, Latine mercurialis fœmina. Masculus verò vocatur mercurialis masculata, id est testiculata: & est minor atque rotunda, & veluti testiculis binis paruis circa exordium

ornata.

1 Ad ventris duritiam.

Herbam mercurialem coques, & trita ex passo dabis, statim detrahet, & stomachum purgabit. Aut semen eius tritum ex passo dato, idem detrahet & purgabit.

2 Ad menstrua cienda.

Herba mercurialis cum oleo irino vel rosaceo admota, mox prouocat sanguinem menstruum.

3 Ad epiphoras oculorum.

Herba mercurialis folia cum vino albo vetere impone.

4 Si aqua in aures introierit.

Herba mercurialis succum tepesfactum in aurem stillabis, mox liberabis eum.

DE RADIOLO. Cap. 83.

Herba radiolus, quã alij filicinam vocant, similis est filici que in lapideis nascitur, vel in parietibus, habens in folijs singulis binos ordines punctorum aureorum.

1 Ad capitis dolorem.

Herba radiolus contusa, atque antè curiosè depurgata, cum aceto scyllitico vsque adeò coacta donec appareat, perungito, capitis dolorem tollit.

2 Ad aluum concitandam.

Herba radioli radicem euulsam, & cultro corticem, purgatam, cum malua coquito, & ius earum bibatur: sine labore vel aliquo tedio ventrem deducit, & omnes estus.

DE ASPARAGO AGRESTI. Cap. 84.

Græci myacãtha, alij acanthillida appellauere, alij aspharagon, alij asparagon agrion, Latini corrudã, alij asparagum agrestem, alij asparagum rusticum, alij asparagum nostrum.

1 Ad vesicæ dolorem siue tumorem.

Herba asparagi agrestis radicem coque in aqua sextario, in pultario nouo ad quartas, & ieiunus diebus septem

Q ij

laborans sumat in potu plurimis diebus balneo utatur, in frigidam non descendat, neque frigidam bibat, mirificè sanat aтем experietur.

2 Ad dentium dolorem.

Herba asparagi succum in ore oportet continere.

3 Ad elephantiosos.

Herba asparagi radix cocta, contrita imponatur elephantiaco, liberabitur.

4 Ad renum dolorem.

Herba asparagi radix trita cū vino, & potata proficit.

5 Si quis maleuolus deuotauerit hominem.

Herba asparagi agrestis radice sicca cum aqua fontana delustrabis eum, & resolutus erit.

DE SABINA. Cap. 85.

Graci eam nerion dicunt, alij brathy, alij barython, Itali herbam sabinam atque sauinam, alij sabinam cupressum. Cupresso similis.

1 Ad morbum regium, siue auriginem.

Herba sabina cum melle & vino pota, auriginem discutit, cum vino trita idem facit.

2 Ad capitis dolorem.

Herbam sabinam diligenter tritam cum aceto & oleo rosaceo mixtam, capiti & temporibus illinitam, valde dicimus prodesse.

3 Ad carbunculos, vel ignem sacrum.

Herba sabina cum melle illinita, mirificè facit.

DE CYNOCEPHALIO, hoc est, capite siue cerebro canis. Cap. 86.

Graci cynocephalon dicunt, alij antirrhinon, alij bucranion, alij burrhinon, alij arnetheston, alij anarrhinon, alij pithecion, Propheta osireostaphen, Itali canis cerebrum, alij herbam simininam, alij venustam minorem, alij opalin gratam appellant.

I Ad epiphoras oculorum.

Herba canis cerebri radicem cum aqua decoque, & de eadem aqua subinde oculos foueto, celeriter lenit.

DE ERUSCO RYBOVE. Cap. 87.

A Græcis dicitur batos, siue batos idea, alijs cynosbatos, alijs syntrophion, alijs asyntrophon, Prophetæ hema ibeos, & hema titanu, Itali senticem, alijs rubum, alijs morum syluaticum, Daci mantiam, Ægyptij hemoos. Cynosbati species sunt duæ: altera enim est communis, omnibus nota: altera quæ appellatur idea siue cynos batos, quæ est mollis ac lenior comparatione prioris atque minoris. Nascitur sub arboribus umbrosis in terra.

I Ad aurium dolorem.

Erusci herba teneræ cymæ succus expressus, tepesfactus & instillatus, ab aurium dolore liberat & persanat. Certum est.

2 Ad hæmorrhoidas restringendas.

Erusci herba teneras cymas nouem, & myrthi syluaticæ cymas itidem nouem, mali granati sicci cortices tres pistes, & decoques simul in aqua, & cū tepuerit, fomentabis tunc anum. Hoc triduum facies. Mirifice restringit & sanat hæmorrhoidas.

3 Ad profluuium mulieris.

Erusci cymas teneras ter septenas decoques in aqua usque ad tertias, & per triduum ieiuna in potu dabis, ita ut cotidie renoues potionem.

4 Ad cardiacos.

Erusci folia per se trita imponuntur māmilla sinistra, & sic dolori resistunt.

5 Ad gingiuarum & labiorum vitia.

Erusci herba cauliculos teneros in vino decoquito, & ipsum vinum in ore contine.

6 Ad vnam remedium.

Erusci herba folia arefiat, in umbra, crematorum cinere in cochleario tacta resiliet, praesentaneum est.

7 Ad vulnera recentia.

Herbae rubi aut flos aut mora imponantur, sine collectionis periculo sanant.

8 Ad condylomata.

Herba rubus cum vino decoquitur ad tertias, eoque vino fouentur condylomata, & omnia vitia sedis.

9 Contra serpentium & hominum morsus.

Herbae rubi folia recentia trita imponantur.

DE MILLEFOLIO. Cap. 88.

Graeci myriophyllon & chiliophyllon, alij melophyllon, alij stratioticen, alij Achillon, alij chrysiton, alij ambrosia dixere, Latini millefolium, alij militarem, alij supercilium Veneris, alij acorum sylvaticum, Galli bellicocadium, videntianam, Daci diodelam. Nascitur in palustribus locis, thyrsa unius radice, molli, fuluo, ita coequato atque eliminato, ut manufactus videatur, folijs foeniculi similibus. Hanc herbam Achilles inuenit, unde vulnera ferro facta sanabat, & ob id Achilleos vocatur. Hac sanasse Telephum dicitur.

1 Ad dentium dolorem.

Herba millefolij radicem ieiunus manducet laborans dentibus.

2 Ad vulnera ferro facta.

Herba millefolium cum axungia pisata & imposita vulnera purgat & sanat.

3 Ad tumores.

Herbam millefolium contusam cum butyro tumoribus imponito.

4 Ad vrinæ difficultatem.

Herba millefolij succus cum aceto potus, mirè prodest & sanat.

DE RUTA HORTENSI. Cap. 89.

Græcis dicitur peganos & eriphion, Romani rutā hortensem appellat. Nota quidem hæc est omnib. herba, cuius est altera vsualis, altera agrestis, atque virtutis acrioris, sed utraque feruentissima comprobantur. Mutantur etiam nomina pro regionum varietate. Apud Cappadocas appellata est moly, à quibusdam armala, à Syris besasa. Memorant etiam ad Olcymum fluium appellari viperalem, eo quòd interfectibilis earum comprobetur.

1 Ad sanguinem de naribus profluentem.

Herbaruta frequentius odorata, sanguinem de naribus mirificè restringit.

2 Ad inflationes.

Herba rute hortensis cruda paululum edito, vel in portione sumito.

3 Ad stomachi dolorem.

Herba rute semen cum sulphure vino & aceto ieiunus gustato, prodesse dicimus.

4 Ad inguinum dolorem.

Herbaruta viridis coquatur ex oleo, deinde commisceatur cera, & ut cerato in linteolo utitor.

5 Ad epiphoras oculorum.

Herbaruta cum polenta bene trita, & imposita lenit epiphoras: nam & radix eius contusa & inlita eas emendat.

6 Ad caliginem oculorum.

Herba rute rorem matutinum, aut matutino madentis succos collectos in vasculo habeto, & ex eo inuges. Eadem & carbunculis ex aceto tusa imponitur.

7 Ad morsum canis rabidi.

Herba rute pondus denariorum sex ex vino bibatur: plaga verò imponatur rute folia trita cum melle, sale & pice: liberabitur,*

8 Ad cardiacos.

Herba ruta fasciculus cum rosaceo decoquatur, adiecta aloës uncia, & olei perunctio dolorem sistit.

9 Ad lethargicos excitandos.

Herba ruta trita ex aceto infundatur fronti. Eadem ignem sacrum, ex aceto & oleo illinita sanat.

10 Ad oculorum aciem.

Herba ruta folia subinde ieiunus manducet. Aut herba cum vino trita potui data antidotum est.

11 Ad profluuium mulieris.

Herbam rutam circumscribe auro & argento & ebo- re, & sublatam eam alligabis infra talum.

12 Si fluit semen.

Herba ruta manducetur ex vino cum liquamine.

13 Ad capitis dolorem.

Herba ruta ex vino potui detur, & trita capiti instilletur cum aceto, & rosaceo oleo.

DE MENTASTRO. Cap. 90.

Græci calaminthen, alij glechon agrion, alij hedyosmon, alij osmiten. Egyptij this Osthanes, Prophetæ gonō Apol lonos, Latini mentastrum vocant, alij nepetam, Hispani creobula, Galli mentam. Huius species tres memorantur. Est enim sylvestris folijs ocimi similibus atque subalbidis, & ramis cauliculatis cum flore purpureo. Secunda species appellatur agreste pulegium, quia odore illi similis est, & folia pulegio similiter formata, sed maiora: quam specialiter Latini, ut supra diximus, nepetam vocant. Tertia est cum folijs mentæ similibus, longitudine à prædicta porrectioribus, thyrso atque ramis maioribus, sed inferioribus effectu. Omnium acriora sunt folia gustu, atque incendiosa.

I Ad aurium vermes.

Herbæ mentastri succus cum vino austero mixtus, & in auriculam coniectus, vermes natos necare creditur.

2 Vt scias in cuius stellæ tutela sis.

Herbam mentastrum tolle mundus, in linteolo mundo habeto, & quando in pane cocto granum frumenti integrum inueneris, simul cum herba ponito, & preceris septem stellas, id est, Solem, Lunam, Martem, Mercurium, Iouem, Venerem, Saturnum, & sub puluino pone, ut tibi per quietem ostendant, in cuius stellæ tutela sis.

3 Ad elephantiosos.

Herbæ mentastri folia frequenter commanducato: sanare certum est.

DE EBULO. Cap. 91.

Græci chamæactē dicunt, alij chamæscen, alij mecon aphroden, alij agrian acten, alij euboicen, Galli ducone, Daci alma, Itali ebulum. Ramis rotundis digitalibus terre prostratis, succo plenis: folijs lenticulatis, fructu siue semine rotundo, radice tenui.

1 Ad calculosos.

Herba ebulum tenerum cum folijs tritum ex vino potui datum, calculos expellit.

2 Ad colubri morsum.

Herbam ebulum tene, & antequam succidas eam, ternouies dices, Omnia mala bestię canto: atque eam ferro quam acutissimo secundum terram trifariam præcido, & id faciens, de eo cogitato cui medeberis: reuersus ita ne respicias post tergum, & ipsam herbam contritam morsui apponito, statim sanabitur.

3 Ad hydropicos.

Herbæ ebuli radices conteres, & eius succum expressum cyathis quatuor ex vini sextario semis potui semel in die dato, hydropicis validissimè proderit: per anum enim humor omnis detrahatur.

4 Ad splenis dolorem.

Herbæ ebuli radicem siccata, & in puluerem mollissimam redactam, ex vini cyathis quatuor, pulueris cochleæ

riã tria, in limine stās bibat, & ebulum semper secum habeat sine ferro lectum.

DE PVLEGIO. Cap. 92.

Græci blechon, alij glechon, alij leucanthon, alij dorcidion, alij * poludon, alij parthenicon, Propheta pantagathon, Osthanes dimoron, Latini pulegium. Quam vim pulegium secum habeat, multi ignorant. Duo genera eius sunt, masculus & fœmina. Masculus florem album habet, fœmina rubeum, siue purpureum. Vtrunque utile est, & mirabile: virtutis acerrime & feruentis. Vocatur ab aliquibus blechon, eo quòd sit balantum animalium floris sui tempore pascuosa. Hoc autem in se mirabile habet, quod maximis æstatis caloribus floreat, quum ferè alia herba arescant.

1 Capiti ne noceat æstus aut frigus.

Herbam pulegium tecum aut super aurem, aut sub annulo portato. Hoc & hyeme tota facias, nec grauedinem senties, nec perfrictionem.

2 Ad intestinorum infantium dolorem.

Pulegium & cyminum tritum ex aqua super umbilicumposito, continuo sanus fiet.

3 Contra nauseam stomachi.

Pulegium tritum, vel in aqua maceratum, cum aceto potui dabis: nauseam stomachi sedat.

4 Ad veretri pruriginem.

Pulegium in aqua feruente maceratum tãdiu, donec bibi possit aqua, optimum est, & pruriginem sedat.

5 Ad ventris dolorem.

Pulegium commãducatum, & in umbilico positum, religatum, ne excidat, continuo dolorem discutit.

6 Ad tertianas.

Pulegy ramulos tres lana inuolutos odoret ante accessionem. Quòd si quis coronam pulegy in capite habuerit, dolorem sedat.

7 Si infans in utero mulieris mortuus fuerit.

Pulegij codas tres recentes qua adolent suauiter, tritas in vino vetere optimo, sextarij quartario da bibat, liberabitur.

8 Ne in naui nausees.

Pulegium & absinthium simul contere ex oleo & aceto, & nares frequenter frica.

9 Si mulier minus purgatur.

Pulegij pondus semiuncia in oxymelite cyathis duobus mane ieiuna bibat.

10 Si secundæ à partu non sequuntur.

Pulegij tres discinge codas, & in vino bono da bibat.

11 Ad vesicæ dolorem, vel calculum.

Pulegium in vini cyathis duobus bene contritum ieiunus bibat, & continuo in solium descendat: intra paucos dies sanat, & calculus pellitur.

12 Si cui cor aut pectus dolet.

Pulegium in aceti cyathis duobus ieiunus bibat.

13 Contra spasmus.

Idem faciat, si spasmus molestus fuerit.

14 Si mulier obticuerit.

Pulegium contritum, & in pulnerem redactum, lana conuolutum subiciatur ab obstetrice.

15 Ad inflationem stomachi, vel intestinorum.

Pulegium ex aqua calida contritum, vel ex vino, aut per se dato: rem miraberis illicò.

16 Ad morbum articulorum.

Pulegium in oxymellis quartario vel cyathis tribus ieiuno da bibere: eyciet bilem, & saniem albam. Idem faciet, ut facile respiret.

17 Ad splenis dolorem.

Herbã pulegium decoque ex aceto, & id acetum calida

permixtum potui dato. Caterum ne quid pulegij pregnantii dederis.

18

Ad ischiam, vel coxarum dolorem.

Herba pulegio & pipere equis ponderibus tritis, in balneo perfricabis ubi dolet.

DE NEPETA MONTANA. Cap. 93.

Græci eam minthen agria, alij minthen orinon, alij dianlan, Propheta herna hammonos, alij conon hammonos, Itali nepetam montanam, siue syluestrem.

1

Ad morsum serpentis.

Herba nepete montana ex vino trite succus expressus cum vino potui datur, & eius folia contrita plage utiliter imponuntur.

2

Ad tertianas vel quartanas.

Herbam nepetam montanam in puluerem redactam sub accessione dabis in aqua calida bibere, liberabitur.

DE PEUCEDANO. Cap. 94.

A Græcis dicitur peucedanos, quibusdam sison agrion, alijs agriophyllon, Propheta agathon demora, Latini pinastellum, alij satinariam vocarunt. Thyrsus habet ut fœniculus, radicem magnam & nigram grauißimi odoris, succo plenam, atque secundum ipsam coronam densam, florem nigrum. Succus autem in ea processu temporis augetur, & propterea aliquando præsecta molli radice defluit, atque in umbra deponitur seruanda. Sole namque vires amittit, sed probatur melior esse flauus & feruens gustatu, & odore grauis, ut in Sardinia & Samothracia.

1

Ad serpentes fugandos.

Herba peucedanum arcet serpentes odore suo. Item cum vetonica & adipe ceruino aut medulla aceto mixto, & morsui imposta, medetur.

2

Ad phreneticos.

Herba peucedanum cum aceto capiti infusa summe facit.

facit.

DE INVLA CAMPANA. Cap. 98.

Græci panacem Chironion, alij panacem centaurion, alij Helenion, Latini inulam Campanam appellat. Habet folia amaraco similia, flores aurofos, radicem tenuem, non altam, acerrimam gustu, medetur serpente vexatos.

1 Ad vesicæ dolorem.

Herba inula, & apij semen, & asparagi, & fœniculi quoque radices in unum trita, & in tepida potui data, efficaciter profunt.

2 Remedium ad cruciatus dentium.

Herbam inulam ieiunus cõmanducet, dentes confirmat.

3 Ad lumbricos.

Herbe inula folia ex vino trita, mirificè quum bibuntur necant lumbricos.

DE CYNOGLOSSA. Cap. 96.

Græci cynoglosson, alij * phrygian, alij hemionion, alij splenion, alij caballion, alij scolimum, alij pyrgin, alij leucrion, Egyptij Zenis, Itali linguam canis, alij sublabium, alij linguam Macedonicam.

Ad morsum serpentis.

Herba cynoglossa contrita, & ex vino sumpta, veneno resistit.

2 Ad quartanas.

Herba cynoglossa, que folia quatuor habet, pisata, & ex aqua potui data, prodest.

3 Ad eos qui minùs audiunt.

Herbe cynoglossæ succum ex passò, & oleo tepesactum in aurem stillato, mirè sanat.

DE SAXIFRAGA. Cap. 97.

A Græcis dicitur adiantos, alijs scolopendrion, quibusdam scolymos, nonnullis scoliprochos, asplenon, & prochos agrios: Egyptij phepere, Itali saxifragam, alij vitem canam, alij apruco, alij lampago vocant. Nascitur

in montibus, locis saxosis, virgultis nigris, lenibus cum splendore, bipalmis, folijs ut coriandrum scissis in summitate.

I Ad calculosos.

Herbam saxifragam contritam ex vino bibendā dato febricitāti ex aqua calida: tam presentem effectum exhibet (nos ipsi experti sumus) ut eodem die perfractis eietisque calculis ad sanitatem perducatur.

DE HEDERA NIGRA. Cap. 98.

Græci eam dicunt cisson melan, alij cissaron, cission, nyssionve, alij chryson meton, Galli bolussellon, Daci arborriā, Latini hederam nigram.

I Ad calculos pellendos.

Hederae baccas aut septem aut nouem contritas, & ex aqua potui sumptas, mirificè calculos in vesica congregatos frangere, & extrahere per urinam certum est.

2 Ad capitis dolorem.

Hedera succo cum oleo rosaceo mixto, & cum vino, tempora, vel frontem perfricabis: sedat dolorem.

3 Ad splenis dolorem.

Hedera nigra grana primò tria, secundo quinque, tertio septem, quarto nouem, quinto undecim, sexto, tredecim, septimò quindecim, octauò septemdecim, nonò decem & nouem, decimò viginti unum, in vino bibantur, diurnis diebus: si febricitat, in aqua calida, maximo auxilio lienosis auxiliatur.

4 Ad phalangiorum morsus.

Hederae radice succus bibatur, item ulceribus hedera ex vino decocta imponatur: mirè sanat.

5 Ad nares graueolentes.

Herbae hederae succus bene colatus in nares infunditur, & nares malè olentes emendat.

6 Ad aurium vitia, & eos qui minus audiunt

Herba

Herba hederæ succus mundissimus cum vino instillatus medetur.

7 Ne caput à Sole doleat.

Hederæ folia mollissime trita cum aceto & oleo rosaceo aduersus omnem capitis dolorem fronti illinitur.

DE SERPILLO. Cap. 99.

A Græcis dicitur herpillos: aly χ yois, aly polion, & Egypty mernopnos, Latini serpillum, aly cicer erraticum, aly cicer rusticum. Eius est alia hortualis siue vsualis, humi serpens cum folijs atque ramis origani similibus, albidioribus quidem, atque sampsuchi odorem fingentibus. Alia agrestis, quæ etiam χ yois appellata est, non in solo serpens, sed directa atque stanti positione subrecta cum ramis tenuibus atque* horrentibus, longitudine bipalmi, & folijs paruis & angustis tanquam ruta, sed paulo longioribus, atque plenioribus & angustioribus: floribus quoque omnibus in virgis constitutis, in summitate purpureis, remordentibus linguam, odore incundo, radice inutili. Nascitur in petris, vehementior est autem quam rubea, quæ seminalis, siue hortualis appellata est.*

1 Ad capitis dolorem.

Herba serpilli succo cum oleo & sale fricta, & in puluerem redacta, omnibus commixtis caput perunges, sanabitur. Item serpillum decoctum in aceto tritum illinitur temporibus & fronti.

2 Ad combustum.

Herba serpilli & anchusæ surculi unciam, spuma argenti uncias tres cum rosa in mortario teres, cera puniceæ adipis vrsini & ceruini semilibram, simul decoques, cola bis bene, & impones: combustur as perfectissime sanat.

DE ABSINTHIO. Cap. 100.

Græci absinthion, barypicron cognominant, Romani absinthium rusticum, & Egypty somi appellant. Est porro absinthium omnibus cognitum, cuius probabilis genus est

R

Ponticum, virtutis acerrima, feruentis & redarguentis amarum. Nascitur locis cultis & montuosis & saxosis. Nascitur & in Taurus monte Cappadocia. Est prae tere à aliud absinthium marimum, quod quidam seriphion vocant, plurimum in Taphosiri Aegypti prouincia, tenuioris fructus aut seminis à supradicta, & angustioribus foliis, neque sic amarum, sed odoris grauioris.

1 Ad periculum fungorum.

Herba absinthij succum ex aceto bibat. Hoc Serotinus vir centenarius euasit, quum esset à fungis tentatus.

2 Ad liuores tollendos.

Herbam absinthium in aqua & aceto decoctam & inductam panno, impone: si corpus tenerum fuerit, ex melle imposito.

3 Ad lumbricos.

Herba absinthij & marrubij & lupinorum paria pondera in aqua mulsa cocta, vel in vino austero, bis aut ter in umbilico imposita, necant lumbricos.

4 Ad inguinum vel intertriginis molestias.

Herba absinthij & marrubij surculum sumito, & in semicinctio tecum portato, sanaberis.

DE SALVIA. Cap. 101.

Graeci elelisphacon, alij crosmin, alij bechion, alij phacon, alij sphagon appellauerunt, Aegyptij anusi, Latini saluiam, alij tussilaginem, alij corsaluum vocant. Elelisphacos agrestis grauioris est odoris. Vsuualis verò, quae est boni odoris ac lenioris, salvia vocatur. Est igitur frutex siue sarmentum longitudine porrectum, sub albidum, virgis maioribus & quadratis, cum folijs paulò asperis, odoris boni, & fructu siue semine in summitate ramorum simili ormino agresti. Nascitur asperis locis: & est virtutis redarguentis cum acrimonia, quae denique pro dictamno saepe venenum eicit.

r Ad

1 Ad veretri pruriginem.

Herba salvia decoquatur, & de ea aqua veretrum inferetur.

2 Ad pruriginem circa anum.

Herba salvia decoquatur, & de ea aqua inferiores partes fomententur, sedat pruriginem summè.

DE CORIANDRO. Cap. 102.

Græci coriannon, alij corion, Latini coriandrum, Aegyptij ochion nominant. Omnibus notum, & frigida virtutis est.

1 Ad lumbricos.

Herba coriandrum coquatur ad tertias in oleo, & in anum mittatur.

2 Mulier vt citò pariat.

Coriandri seminis grana undecim aut tredecim in linteolo mundo de tela alligato: puer aut puella virgo ad femur sinistrum prope inguen teneat: & mox vt per actus fuerit partus, remedium citò soluat, ne intestina sequantur.

3 Ad frigora & omnes febrium typos.

Herbam coriandrum ubi manè videris ad olitorè propositum, accedes ad eum, & projicies denarium, & tolles fasciculum de coriandro: sed noli nominare, & portes tecum usque dum hora suspecta veniat: quum autem illa transierit, & nihil tibi prouenerit, sub sero projicias illum post te dum ambulas, & noli post te respicere, liberabit te.

4 Ad pulices.

Herba coriandri aquam in domo sparge.

DE PORTULACA. Cap. 103.

Agræcis dicitur andrachne, alij theomna, alij cappara, alij andremas: Propheta hema areos, Daci lax, Aegyptij mothmutim, Latini portulacam, alij poreastrum, alij illecebram, nonnulli amaranthon vocarunt.

Portulaca nota est omnibus: frigida virtutis, atque redarguentis.

1 Ad* sanguinis niuium profluuium.

Herba portulaca sumpta & per se, & cum oxycaro, bene facit.

2 Ad stomachi inflammationem.

Herba portulaca purgat, & in aceto sumpta mirè inflammationem tollit.

3 Ad duritiam stomachi.

Herbam portulacam comedat, mirificè facit ad duritiam stomachi.

DE CEREFOLIO. Cap. 104.

Græci paderota vocant, alij* boopes, alij arctophyllon, Latini cerefolium.

1 Ad stomachi dolorem.

Herba cerefolij viridis cymas tres colliges, & pulegium in ligno teres, & mellis cochlearium commisces diligenter, & papauer viride pariter, & induces stomacho: liberabitur.

DE SISYMBRIO. Cap. 105.

Græci sisymbrium, alij stephanon aphrodites, alij herpillon mega, Latini terralem, austeralemve, alij mentham veneream appellant. Est quidem similis mentha, sed latioribus folijs, atque odoris summi, & virtutis feruentis.

1 Ad vesicæ dolorem & stranguriam.

Herba sisymbrij contriti exceptos succos* scrupulis duobus, febricitanti ex aqua calida, non febricitanti ex vino potui dato mirè remediaberis..

DE OLVSATRO. Cap. 106.

Græci smyrnion vocant, alij hipposelinon, alij selinon agrion, Latini olusatrum, Egyptij denterobon. Radice intus alba, foris nigra, stomacho commoda, non valida: thyrso molli, cauo atque celso, veluti scripturis notato, quas Græci grammæ vocant: folijs latis atque rubris, in quibus coma libanotidi similis: semine nigro, longo, acri, accumulato, masti-

maſticatione atque odore aromata ſimulanti : virtute medicinalis.

1 Ad veſicæ dolorem & ſtranguriam.

Herba olufatrum trita ex paſſo, in potu ſumpta, ſtranguriam potenter emendat.

2 Ad purgationem mulierum.

Herba olufatri ſemen ex mulſo potui dabis, fœminas purgat.

DE LILIO. Cap. 107.

Græci crinon vocant, alij lirion, Latini liliū, alij roſam lunonis.

1 Ad morſum ſerpentis.

Herba lily bulbū conterito, & expreſſos ſuccos potui dato: ipſum etiam bulbū tritum morſui adponas, mirabiliter ſanabitur.

2 Ad luxum.

Herba lily folia tuſa & impoſita efficaciter ſanant, & ſi tumor fuerit, ſedant tumorem.

DE TITHYMAILO. Cap. 108.

*Tithymalli ſpecies ſunt ſeptem, quarum alia maſculus, ſive characias appellatur, vel cometes, aut amygdaloides, atque gobios, helioſcopos, meconitis, alpos: Latini balteū, lactucam marinam, Propheta gonon areos. Alia fœmina, quam myrtiten, vel caryitem, aut myrſi, item appellant, Romani mutilaginem caprariam. Tertia paralios ſive tithymalis, peplis tithymalis, aut paralion mecon. Quarta helioſcopos, dendritis tithymalis, Latine cicer columbinum & caprago dicitur. Quinta cypariſſias. Sexta dendroides. Septima platyphyllos, ſive perſites: Propheta Aſclepiū diadema, Latine * tritum appellatur. Characias igitur naſcitur in collibus & montuoſis locis, thyriſis ultra longitudinem cubitalem, rubris, ſucci acrioris atque albi, folijs oliuæ ſimilibus, paulo anguſtioribus, ſed longioribus: comæ in ſummitate ſunt * ſchoeni ſimiles, virgulis porrectis, in*

quibus veluti caliculi cum semine: radice longa. Educit fel atque phlegma eius succus subtus ventrem, potui datus obolis duobus cum posca, cum mulsō autem etiam vomitum movet: item emortuos dentes & exesos tollit. Fœmina autem asperis nascitur locis, & alba est: folijs similibus myrti, paulo maiorib. ac firmis & acutis, in summitate spinosis, virgultis bipalmis: fructu siue semine nuci simili, qui leniter arguat gustu: ac singulos per annos renascatur. Eius succus plus est vomificus, minus tamen à supradicto. Item par alios appellata, nascitur circa mare ramis bipalmis, erectis, rubris, quinis vel senis è radice venientib. in quib. folia parva, angusta & longa cum capitello in summitate denso, parvo, in quo semen erui simile, sed varium, floribus albis ex toto, atque succo virtutis superioris. Item helioscopos appellata nascitur in hortis, ramis è radice venientib. quatuor aut quinque, bipalmis, tenuibus, rubris: folijs portulacæ similibus, paulo tenuiorib. ac rotundis, capitello anethi similis, fructu siue semine velut in folijs, coma quam Dei solis motib. vel circumflexionibus convertat, virtute supradictæ similis, sed paulo vehementiore. Item cyparissias thyrso bipalmi, nigro aut subrubente, foliis pini similibus, sed paulo mollioribus atque tenuioribus. Item dendritis nascitur in petris, latior atque rubrior predictis folijs myrti tenuioris similibus: fructu siue semine ut characias. Item platyphyllos similis est * phlomi formâ atque virtute.

I Ad interiorum doïorem.

Herba tithymali frutices tere, & ex eodem succo mitte caclearia duo in cyathos* duos vini, & dato ieiuno bibere, sanabitur.

2 Ad verrucas tollendas.

Herba tithymali lactem mixtam cum batrachij herba succo si in verrucas imposueris: tertio die sanabit.

3 Ad fistulas.

Herba tithymali succum cum vino mixtum super expr^o mito, deinde ceteris fomentis obligato.

4 Ad *lentiginem, hoc est lepram.

Herba tithymali florem cum resina decoque, & leprosum illine, non sinet crescere.

DE CARDVO SYLVATICO.

Cap. 109.

Græci erysiceptron, alij ixian, alij * pancration, alij chamaleonem, alij cnidium coccum, alij volophonon, alij cynomazon, alij cynozolon, alij ocymoides, Latini carduum * varium, carduum irinum, carduum lacteum, carduum nigrum, alij vertilaginem, vstilaginem. Nasctur in pratis & secus vias. Chamaleon herba est, alia nigra, alia alba, quæ etiam ixia vocatur: siquidem in ortu canicula quibusdam locis secundum eius furcas album viscum reperiatur. Habet folia supra radicem crebra, aspera, spinosa, atque terra prostrata, simul cum thyrso solam spinam in medio mittit, carduo similem, flores purpureos tenues atque tenso, ac deinde albescentes, fructum sine semen cnici herba similem, radicem robustam, albam, ex alto mollem, graueolentem, gustu dulcem. Item nigra, quæ etiam cynozolon à * Forano & Dioscoride est appellata, siquidem præfocet non aliter quàm synanchica passio. Habet folia tenuiora atque breuiora, rubra, pinguiora, thyrsus robore digitali, longitudine sæpe palmorum quatuor, fuluastrum, ex quo umbraculum tenue cum floribus spineis, radice valida, nigra, densa, aliquando etiam exesa vel corrosa, fuluastra, quæ interius masticata remordeat. Vocatur autem chamaleon, propter foliorum varietatem.

1 Ad infirmitatem stomachi.

Herba cardui syluatici, quam habet in capite summo medullam viridem, dato ex oxycaro edat, liberabitur.

2 Vt occurfus malos non timeas.

R iiii

Herbam carduum syluaticum, si Sole nouo fuerit Luna in Capricorno, tolles: & quandiu tecum portaueris, nihil mali tibi occurret.

DE LVPINO. Cap. IIo.

A Grecis vocatur hermos orinos, à Romanis lupinus montanus. Nascitur secus sepes, aut locis sabulosis.

I Ad lumbricos & tineas.

Herbam lupinum montanum contere cū radice, & dato ex aceto cyathum unum bibere, sine mora eijciet lumbricos. Item infanti cum absinthio tritum in umbilico impones, liberabitur.

DE LACTERIDE. Cap. III.

*A Grecis dicitur lathyris, coceos gnidios, aly chamaeam dicunt, aly * eupolin, aly * epantermon, Egyptij oretim, Itali citocacium, aly lacteridem nuncuparunt. Nascitur locis cultis & sabulosis: thyrso cubitali, roboris digitalis, inanis, cuius in summitate furca atque folia longa vt in aristolochia: fructu in summitate ramorum trigono, & veluti rotundo vt capparisi, in quo tria semina obrecta folijs abinuicem discernuntur, rotunda, & eruo maiora, quae depurgata spolijs depositis alba reperiuntur & dulcia.*

I Ad duritiam ventris.

Herbae lacteridis semen, quod est granum, dabis ex eo purgata grana octo potui in aqua frigida, & mox aluum concitat.

DE LACTUCA LEPORINO. Cap. II2.

Nascitur lactuca leporina locis sabulosis. Lepus cum estate à nimio deficit estu, hac herba remediatur, ideo lactuca leporina dicitur.

I Ad febricitantes.

Herbam lactucam leporinam suppones sub puluino infirmo nesciente remediabitur.

2 Si pili oculis obstant.

Herba lactuca leporina pilos oculis obstantes summe relegat.

DE CUCUMERE SYLVATICO. Cap. 113.

*Græci elaterion, alij sicyonagrion, alij * grynō, alij balin, alij bubalion, alij scorpion, alij pherombron, alij peucedanō, alij notion, Itali cucumerem anguinum & cucumerem syluaticum, Prophetæ hema ictinos, Punici cussimezara. Nascitur locis arenosis, & maritimis, & calidis: folia simulans cucumeris vsualis cum virgultis breuioribus, radice alba, magna, & fructu longitudine digitali. Totus autem fructus longitudine amarissimus.*

1 Ad neruorum dolorem & podagram.

Cucumeris syluatici radices in olei cibary pondo tribus decoques ad tertias, & exinde perunges: sanabuntur.

2 Ad abortum.

Herbæ cucumeris syluatici radices in aqua ad tertias coquantur, & inde se sublauet. Si quis autem ieiunus fructum eius ediderit, periclitabitur: ideoque quisque abstineat, neque manducet.

3 Ad tumores & collectiones.

Cucumeris syluatici radix cum polenta aspersa tumores spargit.

4 Ad humorem aurosum.

Herbæ cucumeris syluatici contrita succum expressum in nares contra Solem iaciat, omnem humorem aurosum per nares eyciet. Cum aceto decocta valet contra podagram.

DE CANNABI SYLVATICA. Cap. 114.

Cannabis alia est vsualis, alia agrestis, quam nonnulli hydrastinam, Itali terminalem appellitant. Radice similis althææ, quam nos ibiscum appellamus. Nascitur locis asperis, & secus vias ac sepes.

1 Ad mamillarum dolorem.

Herbam cannabem syluaticam tusam cum axungia imponas, discutiet tumorem: & si collectio fuerit, exsparget.

2 Frigore exustis.

Cannabis syluatica fructum tritum cum vrtice semine subiges aceto, & eis impones.

DE RUTA MONTANA.

Cap. II5.

Græci peganon orinon, Itali rutam montanam vocauerunt. Nascitur in montibus, locis asperis.

1 Ad caliginem oculorum & vlcera.

Herba ruta montana rosida folia decocta in vasculum vitreum mitte, & vinum vetus admisce, & sic inunge.

2 Ad præcordiorum dolorem.

Rutam syluaticam contunde in vase ligneo, deinde de puluere tribus digitis quântum prehendere potueris, mitte in calicem, & vini cyathum vnum, & aquæ calidæ cyathos duos: da bibat, & contineat se in lecto modicum, mox sanus erit.

3 Ad hepatis dolorem.

Herba ruta syluatica manipulum in olla noua & aquæ heminis tribus, mellis tantundem adiecto, fac inferuescat, idque per triduum facies bibere, & sic plures poteris sanare.

4 Ad difficultatem vrinæ.

Herba ruta syluatica cauliculos nouem conterito, additis aquæ cyathis tribus, & aceti hemina, & subserueat, & da bibat continuos dies nouem, sanus fiet.

5 Si mulier intrinsecùs aliquid mali habuerit.

Herba ruta syluaticæ semen contritum ex vino austero da bibat præter partum: liberabitur.

6 Ad stertentes vino.

Ruta

Ruta syluatica semen cum vino potum, mirè facit.

7

Ad eos, quos scorpio percusserit.

Ruta syluatica semen contritum ex vino dabis potui, dolorem sedat.

DE HEPTAPHYLLO. Cap. 116.

Græci heptaphyllon, Latini septifolium dicunt. Nascitur locis cultis & sabulosis.

1 Ad pedum dolorem.

*Herba septifolio trita & cum *luto mixta, pedes perunget, tertio die dolorem tollit.*

DE OCIMO. Cap. 117.

Ocimum est herba notissima atque difficilis digestionis, & mutatione sui instabilis, & virtutis miſturalis.

1 Capitis dolori medendo,

Herbam ocimum tritam cum oleo rosaceo aut myrtino vel aceto fronti imponas, mirabiliter capitis dolorem sanat.

2 Ad epiphoras oculorum.

Ocimum ex vino optimo tritum oculis illinitur.

3 Ad renes.

Herba ocimi succum in mali granati cortice coctum da ut bibat, mirificè auxiliatur.

DE APIO. Cap. 118.

Græci selinon, melissophyllon, Propheta hema oru, Romani apium. Omnib. notum est, acerrimeque virtutis atque miſturalis.

1 Ad epiphoras oculorum.

Herba apium trita bene cum pane molli, oculi tegantur, mirificè sanat.

2 Ad arsuram stomachi.

Herbam apium decoque in aqua, & ex ea aqua da ut bibat, statim sedat sitim.

DE HEDERA CHRYSOCANTHI.

Cap. 119.

A Græcis dicitur cissos, & chrysocanthos. Sic appellata,

quòd grana aurei coloris ferat.

I Ad hydropicos sanandos.

Hedera chrysocthos grana viginti in vini sextario conterantur, & ex eo vino terni cyathi bibantur per dies septem, & per urinam lienis hydrops exinametur.

DE MENTHA. Cap. 120.

Hedysmos Grecis, Romanis mentha dicitur. Est suavi odore. Nascitur in hortis. Virtutem habet thermaicam, & stipticam.

I Ad ignem sacrum.

Herba mentha succus expressus adiecto sulphure & aceto, de penna inunctus, sine mora dolorem sedat.

2 Ulceribus in capite manantibus.

Herba mentha contrita & imposta, ulcera siccat. Lege eam mense Augusto, mane primo priusquam Sol exeat, mundus, ad omnia sic dicens: Te precor herba hedysmos per eum qui nasci te iussit, venias ad me hilaris cum tuis virtutibus & effectu tuo, & ea mihi prestes quae fide à te posco.

DE ANETHO. Cap. 121.

I Ad veretri dolorem.

Herbam anethum combure & in cinerem eius commisce cum melle, deinde vulnus fove ex aqua, dein myrtino oleo calido lana, & sic medicamen impone.

2 Loci mulierum si dolent.

Herba anethi medicamine suprascripto pessum factum applicetur ab obstetrice.

3 Ad capitis dolorem.

Herba anethi flores cum oleo decoque, & temporibus illinito & alligato, mirifice dolorem capitis aufert.

DE ORIGANO. Cap. 122.

Origanon à Grecis heracioticon, onitis, asclepion, panaces, conila appellatur: Latini cunila gallicam & origanum nominant. Species eius sunt tres. Prima appellata est herac-

clio-

cliotice, habens folia in similitudine hyssopi, velut scissili
 umbraculo cum semine in summitate virgarum non fre-
 quenti vel denso. Alia est onitis appellata, simi-
 lia thymo hyssopi, sed albidior, foliis cum semine iungi ac denso, &
 in corymborum vicem pendenti. Tertia agrestis appellata
 est panaces, vel asclepion, aut comile, ut Nicander posuit,
 cum virgis bipalmis tenuibus cum umbraculo simili a-
 nethi, & floribus albis, radice tenui, folijs tanquam
 communis origani. Sed sunt omnes acerrima virtutis ac
 feruentis.

I Ad tussim.

Herbam origanum commanducet, miraberis effectum.
 Item origanum in puluerem mollissimum tritum, & mel
 usque ad tertias decoctum misce, & exinde figurabis tro-
 chiscos, & dabis bibere in aqua calida: tussim potenter
 aufert.

DE SEMPERVIVA. Cap. 123.

Græci aizoön, alij aithales, alij erithales, Latini semper-
 florium, & semperuiuum, siue vitalem nominant. Semper-
 uiuum nomen sumpsit, quòd sit semper viridis atque vi-
 gens. Nominatur ab aliquibus stergethon, eo quòd amo-
 rifica indicetur, unde & pro foribus à plurimis ponitur
 caussa expellendi odia. Est etiam ambrosia dicta, propter
 usum sacrum. Item buphthalmos & Zoophthalmos ap-
 pellata est propter schema. Cubitales enomit thyrsos, ro-
 bore digitali, facile vigentes atque pingues, cum folijs pin-
 guibus maioris digiti crassitudine linguatos, hoc est, lin-
 guam simulantes in summitate, inferiora verò supinata,
 sed in capite præstricta, rotunditatem oculi simulantia.
 Nascitur locis montuosis: in domibus etiam plurimi nu-
 triendam serunt. Nascitur quoque parua in parietibus
 atque petris, & rupibus, ac sepulturis, & umbrosis locis.
 Et vocatur ab aliquibus erithales, vel micron aizoön,
 quòd à præscripta parua sit in forma ex una radice plu-

rimos emittens thyrsos supernatantes vel circumdatos folijs pinguibus, in summitate acutis, ex medio tamen thyrsu bipalmen cum floribus tenuib. & viridibus. Sed est communis virtus semperuini herba constrictina siue redarguens, à Gracis stiptica appellata. Denique ad eosdem usus & taliter hæc adhibetur, ad quos perdicion & arnoglosson herba. Quidã etiam tertiam speciem addunt, quam Graci agrian andrachnen vocat, vel telephion, Latine illecebram, latioribus folijs & hirtis ut portulaca. Nasctur in petris, & habet virtutem acriorem vlceraem. Cum veteri denique adipe scrosis adhibetur, sed & duricias dissoluit.

I Ad apostemata.

Herbam semperuinum cum axungia & pane & coriandro simul trita, vice malagmatis impone: mirifice aut spargit, aut rumpit.

2 Ad hemitritæum.

Herba semperuinae folia quinque trita in aqua calida, potui dantur.

DE FOENICULO. Cap. 124.

Graci marathron, Latini fœniculum. Omnibus notum, Vrinam mouet cibo datum. Lac pronocat. Ex eius thyrsis siue folijs succus sole præsiccatus acuit visum. Præterea semen eius in virore constitutum cum suis virgultis, itemque radix. Apud Hiberiam etiam succum dimittit tempore quo florescit, admoto igne ex astu eius thyrsus succum dimittit, qui præ ceteris melior probatur ad acuendum visum.

I Ad tussim.

Herba fœniculi radicem tusam in mero ieiunus bibat per dies nouem: sanabitur.

2 Ad vesicæ dolorem.

Herba fœniculi viridis fascem, & apij viridis radicem, & asparagi agrestis radicem in pultarium nouum

mittes,

mittes, & aqua sextarium vt simul ferueant ad quartas: & ieiunus bibat per dies septem vel plures, & balneo utatur, ita vt in frigidam non descendat, nec frigidā bibat, vesica dolorem sedat sine mora.

DE ERIPHIO. Cap. 125.

Græci eriphion dicunt, Itali rutam agrestem indigitant. Nascitur in Gallia in monte Soracti. Figuram habet apij, florem purpureum, similem nasturcio, septem radicibus totidemque ramulis asperis minimisque irriguis, ipsa autem patula humo, omni florens tempore, semen habet tanquam faba.

I Phthificis curandis.

Herba eriphion pisata, & malagmatis instar imposta, sanat. Succum eius in potu dato, miraberis virtutem eius.

DE PETROSELINO. Cap. 126.

Græci petroselinon, alij smyrnion, Latini apium syluaticum. Nascitur in petris: sed est summum ac probabile Macedonicum, odoris boni, hoc est aromatici, sapore dulce, urinam mouens. Medetur ventositati stomachi, atque coli, & his similibus.

I Ad neruorum dolorem.

Herbæ petroselini puluerem mollissimum pondere drachmæ unius ex vino potui dabis, & ipsam herbam contritam plagæ impones, miraberis bonum effectum.

2 Ad neruorum dolorem.

Herba petroselinon trita, & imposta, neruorum dolorem sedat.

DE BRASSICA SYLVATICA. Cap. 127.

Græci cramben, alij cynocharon, alij cynanchen, alij cynocramben nuncupant, Latini brassicam rusticam, & brassicam aliqui caninam, Punico butzulim.

1 Ad tumores quoscunque.

Herba brassica syluatica folia cum axungia vetere pisata, & commixta quasi malagma induces linteolo grosso, aut in aluta, & impones: sanabitur.

2 Ad lateris dolorem.

Herbam brassicam syluaticam impones. ut supra.

3 Ad podagram.

Herbam brassicam conficies ut supra. Quod si vetustissimus dolor fuerit, eò magis efficacior erit salus.

DE BASILISCA. Cap. 128.

*Basiliscam Græci, Latini regulam nuntupant. Hæc herba basilisca illis locis nascitur, ubi fuerit serpens basiliscus. Non unum genus est eorum, sed genera sunt tria. Vnus enim est holochrysos, capite aureo: alius stellatus: tertius sanguineus, ut minium, & ipse capite aureo. Hos omnes hæc herba basilisca facile obtinet, si quis eam secum portauerit: sed nec visa mala ei nocere possunt. Holochrysos autem, qui dicitur & chryseos, quod viderit insufflat & incendit. Stellatus autem, qui & chrysocephalos asteritis, hic quod viderit, arefcit & occidit. Tertius autem, qui & hematites & chrysocephalos, quod viderit vel percusserrit, defluet ut ossa per se remaneant. Omnes violentias eorum hæc herba regula obtinet. Si quis homo eam secum habuerit ab omnibus serpentium generibus erit tutus. Est autem herba talis similis * ruta, foliis oblongioribus & angustis, & asperis, nigrioribus. Radix eius pediursi similis, lactem habens aurosum, similem chelidonia, florem autem * chrysoeccum. Qui eam leget, sit mundus, & circumscribat eam auro & argento, cornu ceruino, ebore, dente aprino, cornu taurino, & fruges mellitas in vestigio ponat. Hac utebatur Imperator Augustus. Stomachi dolorem compescit: neque iecoris, aut splenis, nec renum, nec cordis doloribus obnoxium esse sinit, atque ischia, neque spasmus, aut tuſsis, aut coli dolor, neque hydrops eum*

tentabit. Suspirium & pectoris dolores & lateris sedat, & serpentium morsus extenuat. Spissos humores intra corpus & fel ruffum per ventrem & per urinam deducit. Renes purgat, & qui venena accipiunt, eos à periculo mortis liberat: & breuiter omni corpori, quod ea usum fuerit, dat fortitudinem, & sanitatem restituit, in quo aliud firmissimum nihil est.

FINIS.



L. APVLEII PLATONICI
DAVRENSIS LIBER DE
syllogismo categorico.

* * *

Studium sapientiae, quod philosophiam vocamus, plerisque videtur tres species seu partes habere: Naturalem, Moralem, & de qua nunc dicere proposui Rationalem, qua continetur ars differendi. Sed quum differamus de oratione cuius varia sunt species, ut imperandi, fauendi, miserandi, contendendi, obiurgandi, poenitendi, mandandi, succensendi, optandi, fauendi, irascendi, obediendi, inuidendi, deplorandi, tum voluntatem asserendi, tum merum incutiendi, in quibus oratoris excellentis est lata anguste, angusta late, vulgata deceter, usitata noue, noua usitate, extenuare magna, maxima e minimis posse efficere, aliâq; id genus plurima, est una inter has ad propositum potissima, quae Pronunciabilis appellatur, absolutam sententiam comprehendens, sola ex omnibus veritati aut falsitati obnoxia, quam vocat Sergius Effatum, Varro proloquium, Cicero enunciatum.

S

Græci *ἰσχυρόν*, tum axioma, ego verbum è verbo, tum
 propensionem, cum rogamentum, familiarius tamen di-
 cetur propositio. Propositionum ergo perinde ut ipsarum
 conclusionum duæ species sunt. Altera predicativa, quæ
 etiam simplex est, ut si dicamus: Qui regnat, beatus est.
 Altera substitutiva, vel conditionalis, quæ etiam compo-
 sita est, ut si dicas: Qui regnat si sapit beatus est: Sub-
 stituis enim conditionem, qua nisi sapiens est, beatus non
 est. Nos nunc de predicativa dicemus, quæ natura prior
 est, ac velut elementum substitutivæ. Sunt & aliæ differen-
 tiæ quæritatis & qualitatis. Quantitatis quidem quod aliæ
 universales: ut omnis spirans vivit. Aliæ particulares: ut
 quoddam animal non spirat. Aliæ indefinitæ: ut animal
 spirat. Non enim definit utrum omne an aliquod. Sed ta-
 men pro particulari semper valet, quia tutius est id ex in-
 certo accipere quod minus est. Qualitatis autem, quod aliæ
 dedicativæ sint, quæ dedicant aliquid de quopiam: ut
 virtus bonum est: Dedicat enim virtuti inesse bonitatem.
 Aliæ abdicativæ, quæ abdicant aliquid de quopiam, ut vo-
 luptas non est bonum: Abdicat enim voluptati inesse boni-
 tatem. At Stoici hanc quoque dedicativam putant, quum
 dicunt: Euenit cuidam voluptati bonum non esse. Ergo de-
 dicat quid euenerit ei, id est quid sit. Idcirco dedicativa in-
 quiunt, est, quia in quo negavit esse, dedicat id quod non
 videtur esse. Solum autem abdicativum vocant, cui nega-
 tiva particula præponitur. Verum hi quidem quum alijs,
 tum in hac re vincuntur, si qui ita rogauerit. Quod nul-
 lam substantiam habet, non est. Cogentur enim secundum
 quod dicunt confiteri esse quod non est, quod nullam sub-
 stantiam habet. Ceterum est propositio, ut ait in Timæo
 Plato, quæ duabus paucissimis orationis partibus, constat
 nomine & verbo: ut, Apuleius disserit, quod aut ve-
 rum aut falsum est, & ideo propositio est. Vnde quidam ra-
 ti sunt has duas solas orationis esse partes, quod ex his so-
 lis

lis fieri possit oratio perfecta, id est quod abunde sententiam comprehendant. Aduerbia autem & pronomina & participia & coniunctiones, & id genus cetera quæ Grammatici numerant, non magis partes orationis esse quam nauium amplustria, & hominum pilos, aut certe in vniuersa compage orationis vice clauorum & picis, & glutinis deputanda. Porro ex duabus predictis partibus, altera subiectiua nominatur veluti subdita: ut Apuleius. Altera declaratiua: ut differit, non differit: Declarat enim quid faciat Apuleius. Licet autem eadem imminente, vtramuis partem plura verba protendere, ut si pro Apuleio dicas, philosophon Platonicum Madaurenses. Item pro differendo, dicas eum uti ratione. Plerumque autem subiectiua minor est, declaratiua maior. Et non hanc modo sed alias etiam subiectiuas comprehendens: non enim solus Apuleius differit, sed etiam plurimi alij qui sub eadem declaratione possunt contineri, nisi forte proprium cuiuspiam de eo declararetur. Vt si dicas: qui equus, hinnibile est. At proprium est equi hinnire. Et idcirco in ijs proprijs par est declaratiua, par subdita, ac non ut in ceteris maior, quippe quum eadem possit mutata vice subdita fieri, & quam prius habuerit subditam, nunc habere sui declaratiuam: ut si conuerso ordine ita dicas, quod hinnibile est, equus est. At non itidem ubi impares partes sunt, conuertere vices possis: Non enim quia verum est omnem hominem animal esse, idcirco si queras verum erit, omne animal hominem esse. Neque enim ut proprium est equi hinnibile, ita proprium homini est animal esse, quum sint animalia innumera. Agnoscitur hic de pluribus declaratiua, licet conuerso ordine rogamentum proponatur. Primo quidem plura comprehendere potest declaratiua quam subdita, dehinc quod nunquam vocabulo sed semper verbo terminatur. Quo præcipue etiam nullis proprietatibus à pari subiectiua discernitur. Id etiam pro similitudine tenendum est,


quia sicut propositiones definitæ & indefinitæ: ita etiã constat particulas tam subiectiuas quam declaratiuas partim definitas esse, ut homo animal: partim indefinitas, ut non homo, non animal. Non enim definiunt quid sit, quum hoc non sit, sed tantum ostendunt præter hoc aliud esse. Nunc dicendum est quemadmodum & illa propositiones affectæ inter se sint, quas non ab re est in quadra formula spectare. Sunt igitur in superiore linea, ut infra scriptum est, vniuersalis prædicatiua & abdicatiua: ut omnis voluptas bonum est: nulla voluptas bonum est, dicanturque hæ inter se incongruæ. Item in inferiore linea, sub utraque particulares subnotantur: ut, quedam voluptas bonum est: quedam non est bonum: dicanturque hæ inter se suppare: deinde obliquæ ducantur lineæ angulares, altera a pertingens ab vniuersali dedicatiua ad particularem abdicatiuam, altera ab vniuersali abdicatiua ad particularem dedicatiuam, quæ inter se & qualitate & quantitate contrariæ alterutris nominentur, quod iam necesse est alterutram veram esse, quæ dicitur perfecta & integra pugna. At inter suppare & incongruas diuidua pugna est: Quod incongruæ nūquam quidem sūt simul veræ, interdum tamen simul mentiuntur. Suppare autem mutata vice, nūquam quidem simul mentiuntur, interdum tamen sūt simul veræ. Et ideo vtriusuis harum reuictio confirmat alteram. Non tamen & vtriusuis confirmatio reuincit alteram. De incongruis qui vtramuis posuit, utique alteram tollit, non tamen mutata vice, qui vtramuis tollit, unquam alteram ponit. Enimvero qui de alterutris vtramuis comprobat, nūquam alteram refutat: qui vtramuis tollit, utique alteram comprobat. Ceterum vniuersalis vtramuis particularem suam comprobata utique confirmat, reuicta non utique infirmat. Particularis autem versa vice vniuersalem suam reuicta utique infirmat, probata non utique firmat. Hæc omnia sic esse

ut di-

ut diximus, ex propositionibus facile ostenditur infra scriptis.

Omnis voluptas bonum est X Nulla voluptas bonum est
 Quedā voluptas bonum est X Quaedam non est bonum.
 Certum est enim quod concedat qui aliquid proposuerit.
 Destruitur autem utrauis vniuersalis trifariam. Dum
 aut particularis eius falsa ostenditur, aut utrauis ex duabus
 ceteris vera, siue incongrua, siue subiectiua. Instruitur
 autem uno modo si alterutra ei is falsa ostenditur, contra
 particularis uno quidem modo destruetur, si alterutra vera
 ostenditur. Instruitur autem trifariam, si aut vniuersalis
 eius vera est, aut utrauis ex duabus ceteris falsa, siue sup-
 par eius subiectiua. Eadem seruantur etiam in equipol-
 lentibus propositionibus Aequipollentes autem dicuntur,
 quae alia enunciatione tantundem possunt, & simul verae
 sunt, aut simul false. Altera ob alteram scilicet sicut in-
 definita & particularis. Omnis propositio si assumat in
 principio negatiuam particulam, sit alterutra eius equipol-
 lens, ut quum sit vniuersalis dedicatiua, omnis voluptas
 bonum est, si ei negatio proponatur, fiet non omnis voluptas
 bona. Tantundem valens, quatum valebat alterutra eius,
 quaedā voluptas non est bona. Hoc in ceteris tribus propo-
 sitionibus intelligendum est. Deinde de conuersione. Con-
 uersibiles propositiones dicuntur vniuersalis abdicatiua, &
 alterutra eius, id est particularis dedicatiua, eò quòd par-
 ticula earum subiectiua & declaratiua possunt inter se ser-
 uare vices, permanente conditione veritatis & falsitatis.
 Nam ut vera est propositio, Nullus prudens est impius, ita
 si conuertas partium vices verum erit, nullus impius pru-
 dens. Item ut falsum est, Nullus homo est animal: ita si con-
 uertas falsum est, nullum animal homo. Pariter autem &
 particularis dedicatiua conuertitur, Quidā Grammaticus
 homo est, & quidam homo grammaticus est, Quod duae
 ceterae propositiones semper facere non possunt, quaquam

interdum conuertantur, nec tamen idcirco conuersibiles dicuntur: Nam quod alicubi fallit, pro certo repudiatur. Ergo unaquaeque propositio per omnes significationes reperienda est, an etiam conuersa congruat. Nec innumera sunt istae, sed quinque sole: aut enim proprietas declaratur alicuius, aut genus aut differentia, aut finis, aut accidens. Nec praeter haec unquam inueniri potest ulla propositio: ut si hominem substituas, quicquid de eo dixeris, aut proprium significaueris, ut cac hinnabile: aut genus, ut animal: aut differentiam, aut rationalis: aut definitione, ut animal rationale mortale: aut accidens, ut Orator. Quippe omne declaratum alicuius, aut potest vicissim eius fieri subiectiuum, aut non potest.



L. A P V L E I I M A D A V R E N S I S

P H I L O S O P H I P L A T O N I C I

Dialogi, Cui titulus Hermes Trismegistus, in Latinum conuersio.



ASCLEPIVS iste pro sole mihi est. Deus Deus te nobis, ô Asclepi, ut diuino sermoni interesses, adduxit: eique tali qui merito omnium antea à nobis factorum, vel nobis diuino munere inspiratorum, videatur esse religiosa pietate diuiniore, quae si intelligens videris, eris omnium bonorum tota mente plenissimus. Si tamen multa sint bona, et non unum, in quo sunt omnia. Alterum enim alterius consentaneum esse dignoscitur, omnia vnius esse, aut unum esse omnia. Ita enim utrumque connexum, ut separari alterum ab utroque non possit. Sed de futuro sermone hoc diligenti

inten-

intentione cognosces. Tu verò, ò Asclepi, procede paululum, atque nobis, qui inter sit, euoca. Quo ingresso, Asclepius etiam Ammonem interesse suggestit. Trismegistus ait, nulla inuidia Ammonem prohibet à nobis. Etenim ad eius nomen multa meminimus à nobis esse conscripta, sicut & ad amantissimum & bonum filium multa de physica, & ex ethica quamplurima: tractatum hunc autem tuo scribam nomine. Præter Ammonem nullum voca alterum, ne tante rei religiosissimus sermo multorum interuentu præsentiaque violetur. Tractatum autem tota numinis maiestate plenissimum inreligiosa mentis est, multorum conscientie publicare. Ammone etiam aditum ingresso sanctoque illo, quatuor virorum religione, & diuino Dei completo præsentia, competenti venerabiliter silentio ex ore, animus singulorum, mentibusque pendentibus, diuinus Cupido sic exorsus est dicere.

O Asclepi, omnis humana immortalis est anima, sed non uniformiter cuncta, sed alia alio more, vel tempore.

ASCLEPIVS. Non enim, ò Trismegiste, omnis vnius qualitatis est anima? TRISMEGISTVS. O Asclepi, ut celeriter de vera rationis continentia decidisti. Non enim hoc dixi, omnia vnum esse, & vnum omnia. ut pote quia in creatore fuerint omnia, antequàm creasset omnia, nec immeritò omnia, dictus est omnia, cuius membra sunt omnia. Huius itaque, qui est vnus omnia, vel ipse est creator omnium, in tota hac disputatione curato meminisse. De cælo cuncta in terram, & in aquam, & in aëra. Ignis solum, quod sursum versus fertur, viuificum, quod deorsum ei de seruiens. At verò quicquid de alto descendit generans, quod sursum versus emanat nutriens. Terra sola in seipsa consistens, omnium est receptrix, omniumque generum, que accipit, restitutrix. Hoc ergo totum, sicut meministi, quod est omnium vel omnia anima & nūdus à natu-

ra comprehensa agitatur, ita omnium multiformi imaginum qualitate variata, ut infinite qualitatum ex intervallo species esse noscatur, adunate tamen ad hoc ut totum unum & ex uno omnia esse videatur. Totus itaque quibus formatus est mundus, elementa sunt quatuor, scilicet ignis, aqua, terra, aer, mundus unus, anima una, & Deus unus. Nunc mihi adesto totus quantum mente vales, quantum calles astutia. Diuinitatis etenim ratio diuina sensus intentione noscenda torreti simillima est fluuio, e summo in prouum precipiti rapacitate currenti, quo efficitur ut intentionem nostram non solum audientium, verum etiam tractatum ipsorum celeri velocitate pretereat. Caelum ergo sensibilis Deus administrator est omnium corporum, quorum augmenta detrimentaque Sol & Luna sortiti sunt. Caeli vero & ipsius anime & omnium que in mundo insunt ipse gubernator est, qui est omnium effector Deus. A supra dictis & in omnibus, quorum idem gubernator Deus omnium frequentatio fertur influens per mundum, & per animam, omnium generum & specierum omnium, perque rerum naturam. Mundus autem preparatus est a Deo receptaculum omniformium specierum. Naturam autem per species imaginans, mundum per quatuor elementa ad caelum usque perduxit, cuncta Dei visibus placitura. Omnia autem desuper pendentia in species diuiduntur, hoc quod dicitur sum genere. Genera rerum omnium suas species sequuntur, ut sit ita soliditas genus, species generis particula. Genus ergo Deorum ex se Deorum species faciet. Daemonum genus aequè & hominum, similiter volucrum, & omnium que in se mundus habet, sui similes mundi species generat. Genus est & aliud animal, genus sine anima quidem, nec carens tamen sensibus. Unde & beneficiis gaudet, & aduersis minuitur, atque vitatur. Omnium dico, que in terra radicibus, stirpiumque incolumitate viuiscunt, quarum species per totam terram sparse sunt. Ipsum caelum plenum est Deo.

est Deo. Suprà dicta autem genera inhabitant vsque ad loca specierum, quarum omnium rerum immortales sunt species. Species enim generis est pars, ut homo humanitatis, quam necesse est sequi qualitatem sui generis. Vnde efficitur, ut quamuis omnia genera sint immortalia, species tamen non omnes immortales. Diuinitatis enim genus & ipsum & species immortales sunt. Reliquorum genera, quorum eternitas est genus, quamuis per species occidat, nascendi tamen fecunditate seruatur, ideòque species mortales sunt ut homo mortalis sit, immortalis humanitas. Omnibus tamen generibus, omnium generum species miscentur, quaedam quæ ante factæ sunt, quaedam quæ de his factæ sunt. Fiunt itaque quæ fiunt, aut à Diis, aut à demonibus, aut ab hominibus, omnes simillimæ generibus suis species. Corpora enim impossibile est conformari sine nutu diuino, species figurari sine adiutorio demonum, animalia institui & coli sine hominibus non possunt. Quicumque igitur demonum à genere suo defluentes, in speciem fortuito coniuncti sunt, alicuius speciei generis diuini proximitate, & consortio, Diis similes habentur. Quorum verò demonum species qualitate sui generis perseuerant, hi amantes hominum rationem, demones nuncupantur. Similis est & hominum, aut eo amplior. Multiformis enim variæque humani generis species, & ipsa à prædicto desuper adueniens consortio, omnium aliarum specierum multas & propè omnium per necessitatem coniunctiones facit, propter quod & propè Deos accedit, qui se mente, qua Diis iunctus est diuina religione Diis iunxerit, & demones qui iis iunctus est. Humani verò, qui mediocritati sui generis cõtenti sunt, & reliquæ hominum species iis similes erunt, quorum se generis speciebus adiunxerunt. Propter hoc, ò Asclepi, magnum miraculum est. O animal adorandum & honorandum! Hoc enim in naturam Dei transit, quasi ipse sit Deus, hoc demonum genus nouit, utpote qui cum isdem

ortum se esse cognoscat. Hoc humane natura partem in seipso despicit, alterius partis diuinitate confusus. O hominum quanta est natura, temperata felicius, ac Dijs cognata diuinitate coniunctus, partem sui, qua terrenus est intra se, despicit: cetera omnia quibus se necessarium esse cœlesti dispositione cognoscit, nexu secum charitatis astringit, sicque suspicit cœlum. Sic ergo feliciori loco mediocritatis est positus, ut quæ infra se sunt diligat, ipse à superioribus diligatur. Colit terram, elementis velocitate miscetur, acumine mentis in maris profunda descendit, omnia illi licent, non cœlum videtur altissimum, quasi enim è proximo sagacitate metitur. Intentionem animi eius nulla aëris caligo confundit, non densitas terra opera eius impedit, non aquæ altitudo profunda despectum eius obtundit, omnia idem est, & ubique idem est. Horum omnium generum, quæ sunt animalia de super, deorsum radices peruenientes habent, in animalium de imo in superna vna radice syluescunt. Quædam duplicibus aluntur elementis, quædam autem simplicibus. Alimenta autem sunt bina, anime & corporis, è quibus animalia constant. Anima mundi inquieta semper agitatione nutritur. Corpora ex aqua & terra inferioris mundi alimentis augetur. Spiritus quoque plena sunt omnia, permixtus cunctis cuncta viuificat, sensu addito ad hominis intelligentiam: quæ quinta pars sola homini concessa est ex æthere. Sed de animalibus cunctis humanos tantum sensus ad diuinæ rationis intelligentiam exornat, erigit, atque sustollit. Sed quoniam de sensu commoneor dicere, paulo post & huius rationem vobis exponam. Est enim sanctissima & magna, & non minor quam ea, quæ est diuinitatis ipsius. Sed nunc vobis expediam quæ cœperam. Dicebam in ipso initio rerum de coniunctione Deorum quomodo homines soli eorum dignatione perfruuntur. Quicumque etenim hominum tantum felicitatis adepti sunt, ut illum intelligentiæ diuinum perci-

perciperent sensum, qui sensus est diuini in solo Deo, & in humana intelligentia. ASCLE. Non enim omnium hominum, ô Trismegiste, uniformis est sensus? TRISME. Non omnes, ô Asclepi, intelligentiam veram adepti sunt, sed imaginem temerario impetu, nulla vera ratione inspecta sequentes decipiuntur: quæ in mentibus malitiam parit, & transformat optimum animal in naturam feræ, morésque bestiarum. De sensu autem & de omnibus his similibus, quando & de spiritu, tunc totam vobis præstaborationem. Solum enim animal homo duplex. & eius una pars simplex est, quæ, ut Græci aiunt, *σύνθετος*, quam vocamus diuinæ similitudinis formam. Est autem quadruplex: nos mundanum dicimus, ex quo factum est corpus, quo circumtegitur illud quod in homine diuinum esse iam diximus, in quo mentis diuinitas recta sola cum cognatis suis, id est mentis pura sensibus secum ipsa conquiescat, tanquam muro corporis septa. ASCLE. Quid ergo oportuit, ô Trismegiste, hominem in mundo constitui, & non in ea parte, qua Deus est, eum in summa beatitudine degere? TRISMEGI. Rectè quæris, ô Asclepi. Et nos enim rogamus Deum ut tribuat nobis facultatem reddendæ rationis istius. Cum enim omnia à voluntate eius dependeant, tum illa vel maximè quæ de tota summitate tractantur, quam rationem presenti disputatione conquirimus. Audi ergo, Asclepi. Dominus & omnium conformator, quem rectè Deum dicimus, quem à se secundum fecerit, qui videri & sentiri possit, eundem secundum sensibilem ita dixerim, non ideo quòd ipse sentiat (de hoc enim an ipse sentiat, an non, alio dicemus tempore) sed eò quòd videntium sensus incurrit. Quoniam ergo hunc fecit ex se primum & à se secundum, visusque est ei pulcher, ut pote qui sit omnium bonitate plenissimus, amauit eum ut diuinitatis suæ partem. Ergo ut tantus & tam bonus esset, voluit alium, quàm illū, quem ex se fecerat, intueri potuisset, simulque & ra-

tionis imitatore[m], & diligentia fecit hominem. Voluntas etenim Dei ipsa summa est perfectio, ut potè cum voluisse, & perfecisse, vno eodè[m]que temporis puncto compleat. Cū itaque eum ⁱⁿ ~~in~~ animaduertet et Deus non posse omnium rerum esse diligentem, nisi eum mundano integumento contegeret, texit eum corpore a domo, talè[s]que omnes esse precepit, ex utraq; natura in vnum confundens, miscènsq; quantum satis esse debuisset. Itaque hominem conformauit ex animis & corporibus, id est ex aterna & mortali natura, ut animal ita conformatum utriusque origini suae satisfacere possit, & mirari, atque orare caelestia, & incolere atque gubernare terrena. Modò autem dico mortalia non aqua & terram, quae duo de quatuor elementis subieci natura hominibus, sed ea quae ab hominibus, aut in his, aut de his sunt: ut ipsius terrae cultus, pasqua, edificatio, portus, navigationes, communicationes, commodationes alternae, qui est humanitatis firmissimus nexus, & pars mūdi, quae est aqua & terra, quae pars terrena mundi artium disciplinarumque cognitione, atque usu seruetur: sine quibus mundum Deus noluit esse perfectum. Placitum enim Dei necessitas sequitur, voluntatem comitatur effectus. Neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit, cum & futurum id, & placiturum, multo antè sciuerit. Sed, ô Asclepi, animaduerto, ut celeri mentis cupiditate festines audire, quomodo homo caeli, vel quae in eo sunt, dilectum possit habere, vel cultum. Audi itaque, ô Asclepi, dilectus Dei caeli, cum his, quae in sunt omnibus, una est obsequiorum frequentatio. hanc aliud animal non fecit, nec diuinorum, nec animalium nisi solus homo. Hominum enim admirationibus, adorationibus, laudibus, obsequiis, caelum, caelestè[s]que delectatur. Nec immeritò in hominum coetum Musarum chorus est à summa diuinitate demissus, scilicet ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset, sed potius inuitatis hominum cantilenis concelebrare.

braretur, & laudibus, qui solus omnia, aut pater est omnium, atque ita cœlestibus laudibus. Nec in terris harmonia sua uitas defuisset. Aliqui autem, ipsique paucissimi pura mente præditi, sortiti sunt cœli suspiciendi venerabilem curã. Quicumque autem ex duplici natura sua confusione interiorẽ intelligentiam mole corporis resederunt, curandis elementis, hisque inferioribus sunt præpositi. Animal ergo homo, non quidem est minor, quod ex parte mortalis sit, sed eo fortè aptius efficaciusque compositus ad certam rationem mortalitate auctus esse uideatur: scilicet quoniã utrunque nisi ex utraque materia sustinere non potuisset, ex utraque formatus est, ut & terrenorum cultum, & diuinitatis posset habere dilectum. Rationem uerò tractatus istius, ô Asclepi, non solum sagaci intentione, uerum etiã cupio te animi uiuacitate percipere. Est enim ratio plurimis incredibilis. Integra autem & uera percipienda sanctioribus mentibus. itaque hinc exordiar. Aeternitatis dominus Deus primus est. Secundus est mundus. Homo est tertius. Esse ãtor mundi Deus, & eorum que insunt omnium, simul cuncta gubernando, cum homine ipsum gubernatore composita: quod totum suscipiens homo idem curam proprie efficit diligentia sua, ut sit ipse & mundus uerque ornamento sibi, ut ex hac hominis diuina compositione mundus Gracè rectius *κτιστος*, dictus uideatur. Is nouit se, nouit & mundum scilicet ut meminerit, quid partibus conueniat suis, que sibi utenda, quibus sibi inseruendum sit, recognoscat. Laudes gratiesque maximas agens Deo, eius imaginem uenerans, non ignarus se secundum esse imaginem Dei, cuius sunt imagines due, mundus & homo. Vnde efficitur, ut quoniam est ipsius una compago, parte qua ex anima & sensu & spiritu atque ratione diuinus est, uelut ex elementis superioribus ascendere posse uideatur in cœlum, parte uerò mundana, que constat ex igni & aqua & aere mortalis resistat in terram, ac cura sua om-

nia mandata vidua desertaque dimittat. Sic enim humanitas ex parte diuina, & ex parte mortalis est effecta in corpore consistens. Est autem mensura eius utriusque, id est hominis ante omnis religio, quam sequitur bonitas. Ea demum tunc videtur esse perfecta, si contra cupiditatum alienarum omnium rerum sit despiciens virtute munita. Sunt enim ab omnibus cognationis diuinae partibus aliena omnia, quaecumque terrena corporali cupiditate possidentur: quae merito possessionum nomine nuncupantur, quonia non nata nobiscum, sed postea à nobis possideri coeperunt. Omnia ergo huiusmodi ab homine aliena sunt, etiam corpus, ut & ea quae adpetimus, & illud ex quo adpetentia nobis est vitium, despiciamus. Ut enim meum animum rationis ducit intentio, homo haecenus esse debuit, ut contemplatione diuinitatis partem quae sibi iuncta mortalis est, mundi interioris necessitate seruandi despiciat atque contemnat. Nam ut homo ex utraque parte possit esse plenissimus, quaternis eum utriusque partis elementis animaduerte esse formatum, manibus & pedibus utriusque binis, aliisque corporis membris, quib. inferiori, id est, terreno mundo deseruiat. Illis verò partibus quatuor sensus animi, memoria, atque prouidentia, quarum ratione cuncta diuina norit atque suspiciat. Vnde efficitur ut rerum diuersitates, qualitates, effectus, quantitates, suspiciosam indaginem sectetur. Retardatus ergo graui & nimio corporis vitio, has naturae rerum causas, quae verae sunt propriae, prouidere non potest. Hunc ergo sic effectum conformatumque, & tali ministerio obsequioque praepositum, à summo Deo, eumque competenter munde mundum seruando, Deum pie colendo, dignè & competenter in utroque Dei voluntati parentem, talem quo munere credis esse munerandum? Siquidem cum Dei opera sit mundus, eiusque pulchritudinem, qui diligentia, seruat, atque auget, operamque suam cum Dei voluntate coniungit, cum speciem, quam ille intentione di-

uina

nina formauit, adminiculo sui corporis, diuino opere curaque componit, quo munere credis esse muneradum? nisi eo quo parentes nostri munerati sunt, quo etiam nos quoque munerari, si fuerit diuina pietati complacitum, optamus piissimis votis, id est, ut emeritos atque exutos mundana custodia, nexibus mortalibus absolutos, naturæ superioris partis, id est, diuinæ, pueros sanctosque restituat. ASCLEPIUSTE & verè dicis, ô Trismegiste. Hæc est enim merces piæ sub Deo, diligentèrque cum mundo uiuentibus: secus enim impièque qui vixerint, & reditus denegatur in cœlum, & constituitur in* corporalia, indigna sancto animo, & fœda commigratio, ut iste rationis sermo processit, ô Trismegiste, futuræ aternitatis sp̄e animæ in humana vita periclitatur. Sed alijs incredibile, alijs fabulosum, alijs forsitan videatur esse deridendum. Res enim dulcis est in hac corporali vita, qui capitur de possessionibus fructus. Quare animam, oborto, ut aiunt, detinet collo, ut in parte sui, quæ mortalis est, inhereat: nec sinit partem diuinitatis agnoscere, inuidens immortalitati malignitas. Ego enim tibi quasi prædiuinans dixero, nullum post nos habiturum dilectum simplicem, qui est philosophia, quæ sola est in cognoscenda diuinitate frequens obtutus, & sancta religio. Multi etenim eam multifaria ratione confundunt. Quomodo ergo multi incomprehensibilem philosophiam efficiunt, aut quemadmodum eam multifaria ratione confundunt? TRISME. O Asclepi, hoc modo in varias disciplinas, nec comprehensibiles, eam callida commentatione miscentes, Arithmeticæ, Musicæ, & Geometriam. Puram autem philosophiam, eamque tantum diuina religione pendentem, tantum intendere in reliquas oportebit, ut apocatastasis, astrorum stationes præfinitas, cursumque commutationis numeris constare miretur. Terra verò dimensioes, qualitates, quantitates, maris profunda, & ignis vim, & horum omnium effectus naturam cognoscens miretur, ador et, atque collau-

det artem, diuinamque mentem. Musicè verò nosse nihil aliud est, nisi cunctarum rerum ordinem scire, quaque sit diuina ratione sortita. Ordo enim rerum singularum in unum omnium artificii ratione collatus, concentum quendam melo diuino dulcisonum verissimumque conficiet.

ASCLE. Quid ergo homines post nos erunt? TRISME. Sophistarum calliditate decepti, à vera, pura, sanctaque philosophia auertentur. Simplici enim mente & anima diuinitatem colere, eiusque facta venerari, agere etiam Dei voluntati gratias, quae est bonitatis sola plenissima, haec est nulla animi importuna curiositate violata philosophia. Et de his sit hucusque tractatum. De spiritu verò, & de his similibus, hic sumatur exordium. Fuit Deus Θ Υ , quem Graecè credimus mundum, & mundo comitabatur spiritus, sed non similiter ut Deo, nec Deus sunt haec de quibus mundus est: iccirco non erant quando nata non erant, sed in eam tunc erant unde nasci habuerunt. Non enim ea sola non nata dicuntur, quae necdum nata sunt, sed ea quae carent foecunditate generandi, ita ut ex eis nihil nasci possit. Quaecumque ergo sunt quibus inest natura generandi, generabilia sunt, de quibus nasci potest, tamen si ea ex se nata sint. Neque enim dubitatur, ex his quae ex se nata sunt facile nasci posse, de quibus cuncta nascuntur.

Deus ergo sempiternus, Deus aternus, nec nasci potest, nec potuit, hoc est, hoc fuit, hoc semper erit. Haec ergo est, quae ex se tota est, natura Dei. Υ autem, vel mundi natura, & spiritus quamuis nata videantur à principio, tamen ex se nascendi, procreandique vim possident atque naturam foecunditatis. Etenim initium in qualitate natura est, quae conceptus & partus in se possidet vim atque materiam. Haec itaque sine alieno conceptu est solo generabilis. At verò quae vim solam concipiendi habeant, ex alterius connectione natura, ita discernenda sunt, ut hic locus mundi cum

his,

his, quæ in se sunt, videatur esse non natus, qui utique in se vim totius naturæ habet. Locum autem dico, in quo sunt omnia. Neque enim hæc omnia esse potuissent, si locus deesset, qui omnia sustinere potuisset.

Omnibus enim rebus quæ fuerunt, præcauendū est loci nec qualitates etenim nec quantitates, nec positiones, nec effectus dignosci potuissent earum rerū, quæ nusquam sunt. Sic ergo & mundus: quāuis natus non sit, in se tamen omnium naturā habet, ut potest qui omnibus his ad concipiendum finis fecundissimos præstet. Hoc ergo est totum qualitatis, materiaeque creabilis est, tamen si creata non est. Sicut enim in natura materia qualitas fecunda est, sic & malignitatis eadem est æquè fecunda. Nec eo dixi, ô Asclepi, & Ammon, quod à multis dicitur, non poterat deus incidere atque auertere à rerum natura malitiam, quibus respondendum nihil omnino est. Vnde tamen causa, & id prosequar, quod cœperam, & rationem reddam: Dicunt enim ipsi, Deum debuisse omnifariam mundum à malitia liberare. Ita enim in mundo est, ut quasi membrum ipsius videatur esse prouisum cautūmq; quàm rationabiliter à summo Deo, tunc cum disciplina, sensu, intelligentia mentes hominum est munere dignatus. Hisce enim rebus, quibus ceteris antestamus animalibus, soli possumus malitiæ fraudes, dolos, vitiaque vitare. Ea enim, qui antequam his implicatus est, ex aspectu vitariis, homo est diuina intelligentia, prudentiāq; munitus. Fundamentum enim est discipline in summa bonitate consistens. Spiritu autem ministrantur omnia, & vegetantur in mundo, & quasi organum vel machina summi Dei voluntati subiectus est. Itaque hæcenus intelligatur à nobis mente sola intelligibilis, summus qui dicitur Deus rector, gubernatorq; sensibilis Dei, eius qui in se complectitur omnem locum, omnem rerum substantiam, totāque dignentium creatiūmq; materiam, & omne quicquid est quantumcunque est. Spiritu vero agita-

tur, seu gubernatur omnis in mundo species, unaqueque, secundum naturam suam à Deo distributam sibi. ^{UNA} autem vel mundus omnium est receptaculum, omniumque agitatio, atque frequentatio, quorum Deus gubernator dispensans omnibus rebus humanis quantum unicuique necessarium. Spiritus autem implet omnia, cuiuscunque naturæ qualitas est. Est enim causa mundi rotunditas in modum spheræ. Ipsa sibi qualitatis, vel formæ suæ causa inuisibilis tota. Quippe cum quemcunque in ea summum, subter despicendi causa delegeris locum, ex eo in imo quid sit, videre non possis: propter quod multis locis instat, qualitatemque habere creditur. Per formas enim sola specierum, quarum imaginibus videtur insculpta, quasi visibilis creditur, cum depicta monstratur. Re autem vera est sibi ipsi inuisibilis semper, ex quo eius unum vel pars locus est in spheræ. Græcè ἀσὶν dicitur. Siquidem εἰς εἶν Græcè videre dicitur: quo visu primum spheræ carcant; unde & ideo dicuntur species, quòd sint inuisibilis formæ. Ab eo itaque quòd visu priuantur. Græcè ἀσὶν, ab eo quòd in imo spheræ sunt, Latine inferi nuncupantur. Hæc ergo sunt principalia & antiquiora, & quasi initia, vel capita omnis qui sunt in his, aut per hæc, aut de his. ASCLE. Omnia ergo ipsa, ut dicis, ô Trismegiste, mundana, ut ita dixerim, specierum omnium, quæ insunt in uniuscuiusque, sicuti est tota substantia? TRISME. Mundus itaque nutrit corpora, spiritus, animas: sensus autem quo dono cœlesti sola felix sit humanitas, alit mentem. Neque enim omnes, sed pauci, quorum ita mens est, ut tanti beneficii capax esse possit. Ut enim sole mundus, ita mens humana isto clarescit lumine, & eo amplius. Nã sol quicquid illuminat, aliquando terræ & lunæ interiectu interueniente nocte, eius priuatur lumine: sensus autem cum semel fuerit anima commixtus humanæ, fit una ex bene coalescente commixtione materia, ut nunquam eiusmodi mentes caliginis impedian-
tur

tur erroribus. Vnde iuste sensus Deorum animas esse dixerunt. Ergo nec eorum dico omnium, sed magnorum quorumcunque & principalium. ASCLE. Quae dicis rerum capita, vel initia primordiorum, o Trismegiste? TRISMEG. Magna tibi pando, & diuina nudo mysteria: cuius rei initium facio ex optato fauore caelesti. Deorum genera multa sunt: eorumque omnium pars intelligibilis dicitur, alia vero sensibilis. Intelligibilis dicitur, non ideo quod praesentur non subiacere sensibus nostris: magis enim sentimus eos, quam quos visibiles nuncupamus, sicut disputatio perdocebit, & tu si intendas poteris peruidere. Sublimis etenim ratio, eoque diuiniore, ultra hominum mentes, intentionesque consistens, si non attentiore aurium obsequio verba loquentium acceperit, transuolabit & transluet, aut magis refluat, sui que potis liquoribus miscebit se. Sunt ergo omnium specierum principes Di. Hos sequuntur Dy, quorum est princeps $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$. Hi sensibiles utriusque originis suae consimiles, qui per sensibilem naturam conficiunt omnia, altera per alterum unusquisque opus suum illuminans. Coeli, vel quicquid est quod eo nomine comprehenditur, $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$ est Iupiter. Per caelum enim Iupiter omnibus praebet vitam. Solis $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$ lumen est. Bonum enim luminis per orbem solis nobis infunditur. XXXVI. quorum vocabulum est Horoscopi, in eodem loco semper defixorum siderum. Horum $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$ vel princeps est, quem $\pi\alpha\upsilon\tau\iota\mu\epsilon\omega\pi\pi\omega\tau$ vel omniformem vocant, qui diuersis speciebus diuersas formas facit. Septem sphaerae, quae vocantur, habent $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$, quam fortunam dicunt, aut $\epsilon\iota\mu\alpha\upsilon\delta\iota\lambda\omega$: quibus * imitantur omnia lege naturae stabilitateque firmissima & sempiterna agitatione variata. Aer vero organum vel machina omnium, per quam omnia fiunt. Est autem $\epsilon\sigma\tau\alpha\chi\eta\varsigma$ huius secundus mortalia mortalibus & his similia. * His ergo ita se habentibus, ab imo ad summum se mouentibus, sic sibi connexa sunt omnia pertinentia ad

summum se momentibus, sic sibi connexa sunt omnia per-
tinencia ad se naturaliter, ut mortalibus mortalia sensibi-
liâque sensibilibus annexa sint. Summa verò gubernatio-
nis summo illi domino pareat, ut non multa aut potius v-
num ex uno etenim cuncta pendentia, ex eoque defluentia
cum distantia videntur, creduntur esse quidem plurima
diuisim, adunata verò unum vel duo, unde fiunt omnia,
& a quo fiunt omnia, id est de materia, de qua fiunt, &
ex eius voluntate, cuius nutu efficiuntur alia. ASCLE.
Hæc iterum ratio quæ est, ô Trismegiste? TRISME.
Talis, ô Asclepi, Deus. Etenim vel pater, vel dominus
omnium, vel quocunque nomine ab hominibus sanctius
& religiosius nuncupatur, quod inter nos intellectus nostri
causa debet esse sacratum, tanti eius numinis contempla-
tione nullo ex ijs nominibus eum definite nuncupabimus.
Si enim vox est ex aere percusso spiritus sonus declarans
omnem hominis voluptatē, vel sensum, quem forte ex sen-
sibus mente perceperit, cuius nominis tota substantia par-
cis composita syllabis, definita, atque circumscripta est, ut
esset in homine necessarium vocis, auriumque commercium,
similiter etiam sensus, & spiritus, & aeris, & omnium
in his, & per hæc, aut cum his nomen est totum Dei. Non
enim spero totius maiestatis effectorem, omniumque rerum
patrem vel dominum uno posse, quamuis è multis compo-
sito nomine, nuncupari. Hunc verò uno nomine, vel po-
tius omni nomine, siquidem sit unus, & omnia ut sit ne-
cesse, aut omnia esse eius nomine, aut ipsum omnium nomi-
nibus nuncupari. Hic ergo solus omnia, utraque secus fe-
cunditate plenissimus, semper voluntatis suæ prægnans, pa-
rit semper quicquid voluerit procreare. Voluntas eius est
bonitas omnis. Hæc eadem bonitas omnium rerum est, ex
diuinitate eius natura nata, ut sint omnia sicut sunt, &
fuerunt, & futuris omnibus dehinc natura ex se nascendi
sufficiat. Hæc ergo ratio, ô Asclepi, tibi sit reddita, quare
& quæ-

& quomodo fiant omnia vtriusque sexus. ASCLEP. Ergo Deum dicis, ô Trismegiste? TRISME. Non solum Deum, ô Asclepi, sed animalia omnia & in animalia. Impossibile enim est, aliquid eorum quæ sunt infecundum esse. Fecunditate enim dempta ex omnibus, quæ sunt, impossibile erit semper esse quæ sunt. Ego enim & naturam, & sensum, & mundum dico in se continere naturam, & nata omnia conseruare: procreatione enim uterque plenus est sexus, & eius vtriusque connexio: aut * quid est verius, veritas incomprehensibilis est, quam siue Cupidinem, siue Venerem, siue utrunque poteris recte nuncupare. Hoc ergo omnino verius manifestiusque mente percepto, quod ex omni illo totius nature Deo hoc sit cunctis in æternum procreandi inuento tributumque ministerium, cui summa charitas, letitia, hilaritas, & cupiditas, an. ô. que diuinus innatus est. Et dicendum fore et quanta sit eius ministerij vis atque necessitas, nisi ex sui contemplatione unicuique ex intimo nota esse potuisset. Si enim illud extremum temporis, quo ex cerebro ad ritum peruenimus, utraque in utramque fundat natura progeniem, animaduertas ut altera auide alterius rapiat semen, interiusque recondat. Venique eo tempore ex commixtione communi, virtutem fœmine marium adipiscuntur, & mares fœmæ eo corpore lassescunt. Effectus itaque huius tam blandi necessarii que mysterij in occulto perpetratur, ne vulgo irridentibus imperitis vtriusque nature diuinitas ex commixtione secus cogatur erubescere, multo magis etiam si visibus in religiosorum hominum subiciatur. Sunt autem non multi aut admodum pauci, ita ut numerari etiam in mundo possint religiosi. Unde contingit in multis remanere malitiam defectu prudentiæ, scientiæque rerum omnium quæ sunt. Ex intellectu rationis diuinæ, quæ constituta sunt omnia, contemptus, medelæque nascitur vitiorum totius mundi. Perseuerante autem imperitia, atque inscitia, vitia omnia conualescunt,

vulner antque animam insanabilem, vitis que infecta isdem atque vitata quasi venenis tumescit, nisi eorum quorum animarum disciplina & intellectus summa curatio est. Si solis ergo & paucis hoc proderit, dignum est hunc profecti atque expedire tractatum. Quare solis hominibus intelligentiam & disciplinam suam diuinitas sit impartiri dignata. Audi itaque. Deus pater & dominus, cum post Deos homines efficeret ex parte corruptiore mundi, & ex diuina, pari lance componderans, contigit vitia mundi corporibus commixta remanere. Et alia propter cibos vitiumque, quem necessario habemus cum omnibus animalibus communem: quibus de rebus necesse est cupiditatum desideria, & reliqua mentis vitia animis humanis insidere. Dys vero, utpote ex mundissima parte natura effectis, & nullis indigentibus rationis disciplinaeque adminiculis, quamuis immortalitas, & unius semper aetatis vigor ipse sit eis prudentia & disciplina, tamen propter unitatem rationis pro ratione & intellectu, ne ab his essent alieni, ordinem necessitatis lege conscriptum aeterna lege constituit, hominem ex animalibus cunctis de sola ratione disciplinaeque cognoscens, per que vitia corporum homines auertere, atque abalienare potuissent, ipsos ad immortalitatis spem intentionemque prae tendens. Denique & bonum hominem, & qui posset immortalis esse, ex utraque natura composuit, diuina atque mortali: & sic compositum per voluntatem Dei hominem constitutum est esse meliorem Dys, qui sunt ex sola immortalis natura formati, & omnium mortalium, propter quod homo Dys cognatione coniunctus, ipsos religione, & sancta mente veneratur, Diique pio affectu humana omnia respiciunt atque custodiunt. Sed de hominibus paucis istud dictum est pia mente praeditis. De vitiosis vero nihil dicendum est, ne sanctissimus sermo eorum contemperatione violetur. Et quoniam de cognatione & consortio hominum Deorumque nobis indicitur sermo, potestatem

hominis,

hominis, ò Asclepi, vñque cognosce. Dominus & pater, vel quod est summum Deus, ut effector est Deorum cœlestium, ita homo effector est Deorum, qui in templis sunt, humana proximitate coniuncti, & non solum illuminatur, verum etiam illuminant, nec solum ad Deum proficit, verum etiam confirmat Deos. Miraris, ò Asclepi, an nunquid diffidis, ut multi? ASCLE. Confundor, ò Trismegiste: sed tuis verbis libenter assensus, felicissimum hominem iudico, quid sit tantam felicitatem consecutus. TRISMEG. Nec immeritò miraculo dignus est, qui est omnium maximus Deorum. Genus omnium confusione manifestum est, de mundiſsima parte natura prognatum, signaque eorum sola quasi capita pro omnibus esse, species verò Deorum quas conformat humanitas ex natura utraque conformata est, ex diuina quæ est prior, multoque diuiniore, & ex ea, quæ intra homines est, id est ex materia qua fuerunt fabricati: & non solum capitibus solis, sed membris omnibus, totoque corpore figuratur. Ita humanitas semper vicina naturæ, & origini suæ in illa diuinitatis imitatione perseuerat, ut sicut Deus ac dominus, ut sui similes essent, Deos fecit æternos, ita humanitas Deos suos ex sui vultus similitudine figuraret. ASCLE. Statuas dicis, ò Trismegiste? TRISME. Statuas, ò Ascle. vidēsne quatenus tu ipse diffidas, statuas animatas sensu, & spiritu plenas, tanta & talia facientes, statuas futurorum præscias, eāsque fortes vates omnes somnijs, multisque alijs reb. prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, eāsque curantes, tristitiā pro meritis. An ignoras, ò Asclepi, quod Ægyptus imago sit cœli, aut quod est verius translatio aut descensio omnium, quæ gubernantur, atque exercentur in cœlo? Et si dicendum est verius, terra nostra mundi totius est templū: & quoniam præscire cuncta prudentes decet, istud nos ignorare fas non est. Futurum tempus est, cum appareat Ægyptios incassum pia mente diuinitatē sedula religione

seruasse, & omnis eorum sancta veneratio in irritum casu
 ra frustrabitur. E terris enim ad cœlum est recursura di-
 uinitis, linqueturque *Egyptus*, terraque qua fuit diuini-
 tatis sedes, religione viduata, numinum presentia destitue-
 tur. Alienigenis enim regionem istam terramque cōplen-
 tibus, non solum neglectus religionum, sed quod est durius,
 quasi de legibus à religione, pietate, cultuque diuino sta-
 tuetur pro scripta pœna, prohibitio. Tunc terra, ista san-
 ctissima sedes delubrorum atque templorum, sepulchrorū
 erit mortuorumque plenissima. O *Egypte*, *Egypte*, re-
 ligionum tuarum sole supererunt fabule, & æque incre-
 dibiles posteris suis, solaque supererunt verba lapidibus
 incisa, tua pia facta narrantibus, & inhabitabit *Egyptū*
Seythes, aut *Indus*, aut aliquis talis, id est, vicina barba-
 ria. Diuinitas enim repetet cœlum, deserti homines toti mo-
 rientur, atque ita *Egyptus* Deo & homine viduata de-
 seretur. Te verò appello sanctissimum flumen, tibi que fu-
 tura prædico torrenti sanguine plenus ad vsque ripas e-
 rumpes, vndeque diuina non solum polluentur sanguine,
 sed tota rumpentur, & viuis multo maior erit numerus
 sepulcorum, superstes verò qui erit, lingua sola cognoscetur
 & *Egyptus* a tibus verò videbitur alienus. Quid fles, o
Asclepi? & hic amplius, multoque deterius ipsa *Egyptus*
 suadebitur, imbueturque peioribus malis, quæ sancta
 quondam, & diuinitatis amantissima Deorum in terra
 sue religionis merito, sola deductio sanctitatis & pietatis
 magistra, erit maxime crudelitatis exemplum: & tunc ta-
 dio hominum non admirandus videbitur mundus, nec a-
 dorandus. Hoc totum bonum, quo melius, nec fuit, nec
 est, nec erit, quod videri possit, periclitabitur. Eritque gra-
 ue hominibus, & per hoc contemnetur, nec diligetur totus
 hic mundus, Dei opus immutabile gloriosa constructio, bo-
 num multiformi imaginum varietate compositum, machi-
 na voluntatis Dei, suo operi sine inuidia suffragantis: in

unum omnium. que venerari, laudari, amari denique à videntibus debent, multiformis erit adunata congestio. Nā & tenebræ præponentur lumini, & mors vita melior indicabitur, nemo suspiciet cælum. Religiosus pro insano, & irreligiosus putabitur prudens, furiosus fortis, pro bono habebitur pessimus. Anima etenim, & omnia circum ea, quibus aut immortalis nata est, aut immortalitatem se consecuturam esse præsumit, secundum quod vobis exposui, non solum risus, sed etiam putabitur vanitas. Sed mihi credite, & periculum capitale constituetur in eum, qui se mentis religioni dederit. Noua constituentur iura, lex noua, nihil sanctum, nihil religiosum, nec cælo, nec cælestibus dignum audietur, aut mente credetur. Fit Deorum ab hominibus dolenda secessio, soli nocentes angeli remanent, qui humanitati commixti ad omnia audacia mala miseros, manu iniecta compellent in bella, in rapinas, in fraudes, & in omnia que sunt animarum nature contraria. Tunc nec terra constabit, nec nauigabitur mare, nec cœli astrorum cursibus, nec syderū cursus constabit in cœlo: omnis vox diuina necessaria taciturnitate mutescet, fructus terræ corrumpentur, nec fœcunda tellus erit, & aër ipse in casto torpore languescet. Hæc & talis senectus veniet mundi, irreligio, inordinatio, irrationabilitas honorum hominum. Cum hæc cuncta contigerint, ô Asclepi, tunc ille dominus, & pater, Deus primipotens, & unus gubernator mûdi, intuens in mores factæque volûtaria voluntate sua, que est Dei benignitas, vitis resistens, & corruptele omnium errorem euocans, malignitatem omnem alluione diluens, vel igne consumens, vel morbis pestilentibus usque per diuersa loca dispersis finiens, ad antiquam faciem mundum reuocabit, ut & mûdus ipse adorandus videatur, atq; mirandus, & tanti operis effector & restitutor Deus, ab hominibus qui tûc erunt, frequentibus laudum præconijs benedictionibusq; celebretur. Hæc enim mundi

genitur a cunctarum reformatio rerum bonarum, & natura ipsius, sanctissima & religiosissima restitutio, per coactum temporis cursum, quæ est, & fuit sine initio sempiterna. Voluntas etenim Dei caret initio, quæ eadem est, & ubique est sempiterna. ASCLE. Dei enim natura consilium est voluntatis bonitas summa, ô Trismegiste? TRISMEG. O Asclepi, voluntas consilio nascitur, & ipsum velle è voluntate. Neque enim impense aliquid vult qui est omnium plenissimus, & ea quæ vult habet. vult autem omnia bona, & habet omnia quæ vult: omnia autem bona & cogitat & vult: hic autem est Deus: eius imago, mundus, boni. ASCLE. Bonus, ô Trismegiste? TRISMEG. Bonus, ô Asclepi, ut ego te docebo. Sicuti enim Deus omnibus speciebus, vel generibus quæ in mundo sunt, distributor, dispensatorque est bonorum, id est sensus animæ, & vitæ, sic & mundus, prestitor est, & tributor omnium, quæ mortalibus videntur bona, id est alternationis partium, temporalium fructuum, natiuitatis, augmentorum, & maturitatis, & horum similium. Ac per hoc Deus supra verticem summi cæli consistens, ubique est, omniæque circumspicit. Sic est enim ultra cælum locus sine stellis ab omnibus rebus corpulentis alienus. Dispensator, qui est inter cælum & terram, locum obtinet, quem Iouem vocamus. Terra verò & mari dominatur Iupiter Plutonium: & hic nutritor est animantium mortalium & fructiferarum. Horum omnium viribus fructus, arbuta, & terra vegetantur. Aliorum verò vires & effectus per omnia quæ sunt distribuuntur. Distribuentur verò qui terræ dominantur, & collocabuntur in ciuitate, in summo initio Ægypti, quæ à parte solis occidentis condetur, ad quam terra marique festinabit omne mortale genus. ASCLE. Modò tamen hoc tempore ubi isti sunt, ô Trismegiste? TRISMEG. Collocati sunt in maxima ciuitate, in monte Libyco. Et hæc vsque eò narrata sint. De immortali ve-

rò & mortali modo differendum est. Multos enim spes timorq̄ue mortis, verè rationis ignaros excruciat. Mors enim efficitur dissolutione corporis labore defessi, & numeri completi, quo corporis membra in vnã machinã ad vsus vitales aptantur. Moritur enim corpus, quando hominis vitalia ferre posse destiterit. Hoc ergo est mors, corporis dissolutio, & corporalis sensus interitus. De qua sollicitudo superuacua est. Sed & alia necessaria, quã aut ignorantia, aut incredulitas contemnit humana. ASCLE. Quid est, ô Trismegiste, quod aut ignorant, aut esse posse diffidunt. TRISMEGISTIS. Audi ergo, ô Asclepi. Cum fuerit anima à corpore facta discessio, tunc arbitrium examènque meriti eius transiliet in summi demonis potestatem, isque eam cum piã iustãque prouiderit, in sui competentibus locis manere permittet. Si autem delictorum illitam maculis, vitisq̄ue oblitã viderit, de super ad ima deturbans procellis turbinibûsque aëris, ignis, & aqua, sæpe discordantibus tradet. Atque inter cælum & terram mundanis fluctibus in diuersa semper æternis pœnis agitata raptabitur. Vt in hoc anima obsit æternitas, quòd sit immortalis sententia æterno supplicio subiugata. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum cauendûmque esse cognosce. Incredibiles enim post delicta cogentur credere, non verbis, sed exemplis, nec minis, sed ipsa passione pœnarum. ASCLE. Non ergo, Trismegiste, hominum delicta sola humana lege puniuntur. TRISME. Primo, ô Asclepi, terrena que sunt, omnia sunt mortalia, nunc omnia etiam que sunt rationi corporali viuentia, & à viuendo eadem corporali lege deficientia, ea omnia pro vite meritis, aut delictis pœnis obnoxia tantò post mortem, seuioribus subiiciuntur, quantò in vita forsitan fuerunt celata dum viuerent. Præscia etenim rerum omnium diuinitate reddentur, perinde ut sunt pro delictorum qualitibus pœna.

ASCLE. *Qui sunt digni maioribus pœnis, ô Trismegiste?*

TRISME. *Qui damnati humanis legibus vitam violenter amittunt, ut non natura animam debitam, sed pœnam pro meritis reddidisse videantur. Contra iusto homini in Dei religione & summa pietate presidium est. Deus enim tales ab omnibus tutatur malis. Pater enim omnium & dominus, qui solus est omnia, omnibus se libenter ostendit. Non ubi sit loco nec qualis qualitate, nec quantus quantitate, sed hominem sola intelligentia mentis illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate percepta toto se sensu intelligentia diuina commiscet: cuius amore à parte natura, qua mortalis est, liberatus, immortalitatis future concipit fiduciam. Hoc ergo inter bonos malosque distabit. Vnusquisque enim pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suae tantum inter homines, quantum sol lumine ceteris astris antestat. Ipse enim sol non tam magnitudine luminis, quam diuinitate & sanctitate ceteras stellas illuminat. Secundum enim Deum hunc crede, ô Asclepi, omnia gubernantem, omniâque mundana illustrantem animalia, siue animantia, siue inanimantia. Si enim animal mundus viuens semper, & fuit, & est, & erit, nihil in mundo mortale est. Vientis etenim semper vniuscuiusque partis quae in ipso mundo, sicuti in vno eodemque animali semper viuente, nullus est mortalitatis locus. Ergo vitae aeternitatisque debet esse plenissimus, si semper necesse est viuere. Sol ergo sicuti mundus sempiternus, sic & ipse semper gubernator vitalium, vel totius viuacitatis, eorumque frequentator, & dispensator est. Deus ergo viuentium, vel vitalium, quae sunt in mundo sempiternus gubernator est, ipsiusque vitae dispensator aeternus. Semel autem dispensauit aeterna lege cunctis vitalibus vitam prestans,*

hoc more quo dicam.

In ipsa eternitatis viuacitate mūdus agitatur, & ipsa vitali eternitate locus est mundi: propter quod non corrūpetur aliquando, stabili sempiternitate viuendi circūallatus, & quasi constrictus ipse mūdus. Est igitur dispensator vite omnibus, quæ in se sunt, & est locus omnium, quæ sub sole gubernantur: & commotio ipsius mūdi ex duplici constat effectu. Viuificatur enim ipse extrinsecus ab eternitate, viuificatq; ea quæ intra se sunt omnia, differens numeris, & temporibus statutis atq; infixis, cūcta per solis effectum, stellarūque discursum, omnia temporalia ratione diuināq; lege conscripta. Terrenum autem tempus, aëris qualitate, æstiuūque frigorisq; varietate dinoscitur. Cæleste verò recursionibus syderum ad eadem loca temporaria conuersatione recurrentium, & mūdus est receptaculum temporis, cuius cursu & agitatione vegetatur. Tempus autem ordinatione seruatur. Ordo & tempus in nouationem omnium rerum quæ in mūdo sunt, per alternationem faciūt. Cunctis ergo ita se habentibus, nihil stabile, nihil fixum, nihil inanimabile, nec nascentium, nec cælestium, nec terrenorum. Solus Deus, & merito solus, ipse enim in se, & à se, & circū se, totus, est plenus atq; perfectus, isque sua firma stabilitas est: nec alicuius impulsu, nec loco moueri potest, cum in eo sint omnia, & in omnibus ipse est solus, nisi aliquis audeat dicere ipsius commotionem in eternitate esse, sed magis & ipsa immobilis eternitas, in quam omnium temporum agitatio remeat, & ex qua omnium temporum agitatio sumit exordium. Deus igitur stabilis fuit, sempiternusque est, & cum eo similiter eternitas consistit. Mundum vero non natū, quem rectè sensibilem dicimus, intra se habens. Huius Dei imago hic mundus effectus est eternitatis imitator, Habet autem tempus stabilitatis suæ vim atque naturam, quamuis semper agitetur, ea ipsa in se reuertendi necessitate. Itaq; quamuis sit eter-

nitas, stabilis, immobilis, atque fixa, tamen quoniam temporis, quod mobile est, in aeternitatem semper renocatur agitatio, eaque mobilitas ratione temporis vertitur, efficitur, ut & ipsa aeternitas videatur immobilis quidem sola per tempus in quo ipsa est, & in eo, omnis agitatio agitari. Sic efficitur, ut & aeternitatis stabilitas moueatur, & temporis stabilis mobilitas fiat, fixa lege currendi. Sic & Deum agitari credibile est in seipsum eadem mobilitate stabilitatis. In magnitudine enim ipsius est immobilis agitatio. Hoc ergo quod est tale, quod non subyicitur sensibus, indefinitum, incomprehensibile, inestimabile est, nec sustineri, nec ferri, nec indagari potest. Vnde enim, & quò, & ubi, aut quomodo, aut quale sit, incertum est. Fertur enim in summa stabilitate, & in ipso stabilitas sua, seu Deus, seu aeternitas, seu uterque, seu alter in altero, seu uterque in utroque sit. Propter quod aeternitas sine definitione est temporis. Tempus autem quod defini non potest, vel numero vel alternatione, vel per alterius amplitudinem relictus aeternum est. Vtrunque ergo infinitum, utrunque videtur aeternum. Stabilitas enim, utpotè defixa, quo sustinere quae agitabilia sunt possit, beneficio firmitatis, merito obtinet principatum. Omnium ergo quae sunt, primordium Deus est, & aeternitas. Mundus autem, quod sit mobilis, non habet principatum. Praeuenit enim mobilitas eius stabilitatem suam in legem agitationis sempiternae habendo immobilem firmitatem. Omnis ergo sensus diuinitatis immobilis, ipse instabilitate sua se commouet: sanctus, & incorruptus, & sempiternus est, & siquid melius potest nuncupari, Dei summi in ipsa voluntate assistens aeternitas, plenissimus omnium sensibilium, & totius disciplinae consistens, ut ita dixerim, cum Deo. Sensus verò mundanus receptaculum est omnium sensibilium, & specierum, & disciplinarum. Humanus verò ex memoriae tenacitate, quòd memor sit omnium, quas gesserit, re-

rit, re-

rit, rerum. Vsq̄ue ad humanum tamen animal diuinitas descendendo peruenit. Deus enim sensum summum, diuinumque cunctis confundi noluit, ne erubesceret commixtione aliorum animantium. Intelligentia enim sensus humani qualis aut quanta sit, tota est in memoria prateritorum. Per eam enim memoria tenacitatem gubernator effectus est terræ. Intellectus autem naturæ qualitate, & sensus mundi ex omnibus quæ in mundo sensibilia sunt, poterit peruideri. Aternitasque, quæ secunda est ex sensibili mundo, sensus status, qualitasque dignoscitur. At intellectus qualitatis, qualitasque sensus summi Dei sola veritas est: cuius veritatis in mundo ne quidem extrema linea umbra dignoscitur. Vbi enim quod temporum dimensione dignoscitur? Vbi sunt mendacia, ubi genitura, ubi errores videntur. Vides ergo, ô Asclepi, in quibus constituti, quæ tractemus, aut quæ audeamus attingere. Sed tibi Deus summas gratias ago, qui me videndæ diuinitatis illuminasti lumine: & vos, ô Tati, & Asclepi, & Ammon, intra secreta pectoris diuina mysteria silentio tegite, & taciturnitate celate.

Hoc enim differet intellectus à sensu, quod intellectus noster ad qualitatem sensus mundi intelligendam, & dignoscendam, mentis peruenit intentionem. Intellectus autem mundi peruenit ad aternitatem, & Deos noscendos, qui supra se sunt. & sic contingit hominibus, ut quasi per caliginem quæ in cælo sunt videamus, quantum possibile est per conditionem sensus humani. Hæc autem intentio angustissima est peruidendis tantis bonis. Latissima verò cum viderit felicitate conscientie. De inani verò, quod etiam magnum videtur esse quamplurimis, sic sentio. Inane nec esse aliquid, nec esse potuisse, nec futurum unquam. Omnia enim mundi sunt membra plenissima, ut ipse mundus plenus sit, atque perfectus corporibus, qualitate formæque diuersis, & speciem suam habentibus, & magnitudinem.

Quorum unum est alio maius, aut alio minus, & validitate & tenuitate diuersa. Nam & quadam eorum validiora videntur, sicuti & maiora, minora autem & tenuiora, aut vix, aut omnino videri non possunt, quae solum esse attrectatione cognoscimus. Vnde contingit multis credere haec non esse corpora, sed inanes locos, quod est impossibile. Sicuti enim quod dicitur est extra mundum, si tamen est aliquid (nec enim istud credo) sic ab eo plenum esse intelligibilium rerum, id est, diuinitatis suae similitum. Vt hic etiam sensibilis mundus qui dicitur, plenissimus sit corporum, & animalium, naturae suae & qualitati conuenientium: quorum facies non omnis videmus, sed quasdam ultra modum grandes, quasdam breuissimas, aut propter spatij interiecti longitudinem, aut quod acie sumus obtusi, tales nobis esse videantur, aut omnino propter nimiam breuitatem non esse credantur. Dico enim demones, quos credo commorari nobiscum, & aereas, quos inter aëris purissimam partem supra nos, & terram, ubi nec nebulis locus, nec ex signorum aliquorum agitatione commotio. Propter quod, ô Asclepi, inane nihil esse dixeris, nisi, cuius rei inane sit hoc quod dicis inane, praedixeris, ut inane ab igne, & ab aqua, & ab his similibus. Quod & si contingerit videri, quid inane possit esse à rebus huiusmodi, quamuis breue sit, vel magnū quod inane videtur, spiritum tamen, & aëre vacuū esse non possit. Similiter verò de loco dicendū, quod vocabulum solū intellectu caret. Locus enim, ex eo cuius est, quid sit apparet. Principali etenim nomine dempto significatio mutilatur. Quare aquae locus, ignis locus, aut his similitū recte dicemus. Sicut enim inane esse aliquid impossibile est, sic & locus solus quid sit dinosci non potest. Nam si posueris locū sine eo cuius est, inanis videbitur locus, quem in mūdo esse non credo. Quod si inane nihil est, nec per se quid sit locus apparet, nisi ei aut longitudes, aut latitudes, aut altitudes ad-
dide-

dideris, ut corporibus hominum signa.

His ergo sic se habentibus, ô Asclepi, & vos qui ad-
 fectis, scitote intelligibilem mundum & Deum, qui mentis so-
 lo obtutu dinoscitur, esse incorporalē, nec eius natura mis-
 ceri posse aliquid corporale, id est, quod possit qualitate,
 quantitate, numeris que dinosci. In ipso enim nihil tale cō-
 sistit. Hic ergo mundus, qui dicitur sensibilis, receptaculū
 est omnium specierum, qualitatū vel corporum, quæ om-
 nia sine Deo vegetari non possunt. Omnia enim Deus, &
 à Deo omnia, & eius voluntatis omnia. Quod totum est
 bonum, decens immutabile, & prudens, & ipsi soli sensibi-
 le, atq; intelligibile, & sine hoc nec fuit aliquid, nec erit. O-
 mnia n. ab eo, & in ipso, & per ipsū, & multiformes qualita-
 tes, & magna quantitates, & omnē mensurā excedētes ma-
 gnitudines, & uniformes species: quas si intellexeris, ô As-
 clepi, gratias acturus es Deo. Si totum animaduertes, verā
 ratione perdisces mundum ipsum sensibilem, & quæ in eo
 sunt, omnia à superiore illo mundo quasi ex vestimento
 eius contacta. Num quòdque enim genus animalium, ô
 Asclepi, cuiuscūque vel mortalis, vel immortalis, vel ra-
 tionalis, siue sit animans, siue sine anima sit, prout cuique
 est genus, sic singula sui generis imagines habent. Et quam-
 vis unumquodque animalis genus omnem sui generis pos-
 sideat formam, in eadem tamen sui forma singula dissimi-
 lia sunt. Species enim quæ diuina est, incorporalis est, &
 quicquid mente comprehenditur. Cum itaque hæc duo ex
 quibus constat forma & corpus incorporalia sint, impossi-
 bile est unamquamque formam alteri simillimam nasci, ho-
 rarum & climatum distantibus punctis. Sed immutantur
 totiens quot hora momenta habet circuli circumcurrentis,
 in quo est ille omniformis quem diximus Deus. Species
 ergo permanet ex se totiens pariens imagines tantas, tam-
 que diuersas, quanta habet conuersio mundi momenta, qui
 mundus in conuersione mutatur. Species verò nec muta-

tur, nec conuertitur. Sic generum singulorum forme sunt permanentes in eadem forma sua dissimiles. ASCLEPIVS. Et mundus speciem mutat, ô Trismegiste? TRISMEGIST. Vides ergo, ô Asclepi, tibi omnia quasi dormienti esse narrata. Quid est enim mundus, aut ex quibus constat, nisi ex omnibus natis? Ergo vis dicere de cœlo, terra, & elementis. Namque alia magis frequenter mutantur in species. Cœlum est humescens, vel arefcens, vel frigesccens, vel ignescens, vel claresccens, vel sordescens in vna cœli specie, hæ sunt quæ sepe alternantur species. Terra verò sua speciei multas immutationes semper habet, & cum parturit fruges, & cum eadem partu nutriat suo, tum reddit omnium fructuum varias diuersasque qualitates, & quantitates, ac stationes, & cursus ad omnes arborum, florum, baccarum qualitates, odores, sapes, species. Ignis etiam facit conuersiones plurimas atque diuersas. Solis enim & lunæ omniformes imagines. Sunt autem quasi speculorum nostrorum similes imaginum similitudines, emulo splendore reddentium. Sed iam de talibus sint satis dicta talia. Iterum ad hominem, rationemque redeamus, ex quo diuino dono homo animal dictum est rationale. Minus autem miranda, & si miranda sunt quæ de homine dicta sunt, sed omnium mirabilium vincit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam, eamque efficere. Quoniam ergo proavi nostri multum errabant circa rationem Deorum increduli, & non animaduertentes ad cultum, religionemque diuinam, inuenerunt artem qua Deos efficerent: cui inuenta adiunxerunt virtutem de mundi natura conuenientem, eamque miscentes, & quoniam animas facere non poterant, euocantes animas demonum, vel angelorum, eas indiderunt imaginibus sanctis, diuinisque mysterijs, per quas sola idola & benefa-

cien-

ciendi & malefaciendi vires habere potuissent. Anus enim tuus (ô Asclepi) medicina primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Libyæ circa litus crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est corpus: reliquus enim, vel potius totus, si est homo totus, in sensu vite melior remeavit in cælum; omnia etiam nunc adiumenta hominibus præstans infirmis numine suo, quæ antè solebat medicina arte præbere. Hermes, cuius nomine auitum mihi nomen est, sibi cognomen patrium consistens, omnes mortales undique venientes adiuvat, atque conseruat: tum verò & Osirin quam multa bona præstare propitia, tantum obesse scimus irata. Terrenis enim Dijs atque mundanis facile est irasci, utpotè qui sint ab hominibus ex utraque natura facti atque compositi. Vnde contingit. Agypsijs hæc sancta animalia nuncupari, & per singulas ciuitates coli eorum animas, quorum sunt consecrata viuentes, ita ut eorum legibus incolantur & eorum nominibus nuncupentur. Per hanc causam, ô Asclepi, quæ alijs colenda videntur atque veneranda, apud alios dissimiliter habentur: ac propterea bellis se laceffere Agypsiorum ciuitates solent. ASCLEP. Et horum, Trismegiste, Deorum, qui terreni habentur, cuiusmodi est qualitas? TRISMEG. Constat, ô Asclepi, de herbis, de lapidibus, & de aromatibus vim diuinitatis naturalem habentibus in se: & propter hanc causam sacrificijs frequentibus oblectantur, hymnis, & laudibus, & dulcissimis sonis in modum cælestis harmonia concinentibus: ut istud quod est cælesti usu & frequentatione illectum, in idola possit latum humanitas patiens longa durare per tempora, sic Deorum fictor est homo. Et ne putes fortuitos effectus esse terrenorum Deorum, ô Asclepi, Dijs cælestes inhabitant summa cælestia, unusquisque ordinem quem accepit complens, atque custodiens. Hi nostri verò sigil-

latim quaedam curantes, quaedam praudentes, quaedam sortibus & diuinatione praedicientes, his pro modo subuenientes humanis, quasi amica cognatione auxiliantur. ASCLEPIVS. Quam ergo partem rationis εἰσαπόδη, vel fata incolunt, O Trismegiste? si coelestes Dy dominantur, terrem incolunt singula, quam εἰσαπόδη nuncupamus? TRISMEGIST. Asclepi, ea est necessitas omnium quae geruntur, semper sibi catenatis nexibus iuncta. Haec itaque est aut effectrix rerum, aut summus Deus, aut ab ipso Deo qui secundus effectus est Deus, aut omnium coelestium terrenarumque rerum firmata diuinis legibus disciplina. Haec itaque εἰσαπόδη & necessitas, ambae sibi inuicem indiuiduo connexae sunt glutino: quarum prior εἰσαπόδη rerum omnium parit initia. Necessitas verò cogit ad effectum, quae ex illius primordiis dependet. Haec ordo consequitur, id est contextus, & distinctio temporis rerum perficiendarum. Nihil est enim sine ordinis compositione. In omnibus istis mundus iste perfectus est. Ipse enim mundus ordine gestatur, vel totus constat ex ordine. Haec ergo tria, εἰσαπόδη, necessitas, ordo, vel maxime Diuinitu sunt effecta, qui mundum gubernat sua lege, & ratione diuina. Ab his ergo omne velle, & nolle diuinitus auersum est totum. Nec ira etenim commouentur, nec flectuntur gratia, sed seruiunt necessitati rationis aeternae, quae aeternitas inauersibilis, immobilis, insolubilis est. Prima ergo εἰσαπόδη est, quae velut iacto semine futurorum omnium suscipit prolem. Sequitur necessitas, qua ad effectum coguntur omnia. Tertius ordo, textum seruans earum rerum, quas εἰσαπόδη necessitasque disponit. Haec ergo aeternitas, quae nec coepit esse, nec desinet, quae fixa immutabili lege currendi sempiterna commotione seruatur, oriturque, & occidit aeternis saepe per membra, ita ut variatis temporibus, isdem

iisdem quibus occiderat membris, oriatur. sic enim & ro-
 tunditatis volubilis ratio, ut ita sint sibi coarctata cuncta,
 ut quod sit volubilitatis initium ignores, cum omnia se sem-
 per & precedere, & sequi videantur. Euentus autem
 vel fors insunt omnibus permixta mundanis. Dicitur
 est nobis de singulis, ut humanitas potuit, ut voluit, per-
 misitque diuinitas. Restat hoc solum nobis, ut benedicen-
 tes Deum, orantesque, ad curam corporis redeamus. Sa-
 tis enim de diuinis rebus tractantes mentem velut animi
 pabulis saturauimus. De adyto vero egressi, cum Deum
 orare cœpissent, in austrum respicientes erant. Sole ete-
 nim occidente, cum quis Deum orare voluerit, illuc de-
 bet intendere, sicut & sole oriente, in eum qui subsolanus
 dicitur. Iam ergo dicentibus precationem Asclepius
 ait, submissa voce oranti suggeramus patri quod iusserit,
 ut thure addito, & pigmentis precem dicamus Deo.
 Quem Trismegistus audiens, atque commotus ait, Me-
 lius melius ominare ô Asclepi. Hoc enim sacrilegijs si-
 mile est, cum Deum roges, thus atque cetera incendere.
 Nihil enim deest ei, qui ipse est omnia, aut in quo sunt om-
 nia. Sed nos agentes gratias adoremus. Hæ enim
 sunt summe incensiones Dei, cum aguntur grates à morta-
 libus. Gratias tibi agimus summe & exuperantissime.
 Tua enim gratia tantum sumus cognitionis tue lumen
 consecuti. Nomen sanctum, & honorandum, nomen v-
 num, quo solus Deus est benedicendus religione paterna,
 quoniam omnibus paternam pietatem, & religionem, &
 amorem, & quacunque est dulcior efficacia præbere di-
 gnaris, & donas nos sensu, ratione, intelligentia. Sensu,
 ut te cognoscamus. Ratione, ut te suspicionibus indage-
 mus. Intelligentia, ut te cognitione cognoscentes gaudea-
 mus, ac numine saluati tuo gaudeamus, quòd nobis te o-
 stenderis totum gaudeamus, quòd nos in corporibus sitos,
 & æternitate fueris consecrare dignatus. Hæc est enim

sola humana gratulatio, cognitio maiestatis tue. Cognouimus te, & lumen maximum solo intellectu sensibili. Intelleximus te, ô vite vera via, ô natorum omnium fecunda generatio: cognouimus te totius naturæ tuo conceptu plenissime: cognouimus te aeterna perseveratio. In omni enim ista oratione adorantes bonum bonitatis tue, hoc tantum deprecamur, ut nos velis seruare perseverantes in amore cognitionis tue, & nunquam ab hoc genere vite separari. Hoc optantes conuertimus nos ad puram, & sine animalibus cœnam.

F I N I S.



GODE



GODESCALCI STEVV E-


CHI IN L. APVLEII.

LIB. I. DE ASINO

QVAESTIONES.

Godescalcus Stevvechius Iulio Strozzae

V. I. S. P. D.

vod munus Criticorum sit, Illustriss. Strozza, sat. per te capis. omnes nimirum id operam dare debere, vt veterum scriptis melius sit, eaque quantum potest emaculata publico ponentur in posterum. quotquot in eo stadio currunt, his praeterquam alibi, tum etiam in hanc partem aduigilandum arbitror, videlicet ne saepius eadem iterentur, neve inculcentur multotiens à pluribus. Diuersis, imò & longissimè distitis eadem in mentem venire posse scio: & sciunt mecum non pauci. quid ni! cum alias, tum maximè nunc nuper idem vsu mihi venisse intelleges. Petij superiori mercatu Francofurdiensi, ab operis Plantinianis commentarium Philippi Berroaldi ad L. Apuleij libros De asino aureo, quos lib. per se verbis splendoros: varia & antiqua doctrina conditos: illustratione istius viri multo splendoros factos non semel intellexeram. Simul commentarium illum adeptus sum, cum Cōiectaneis meis, quæ saltuatim, & spicatum (vt ita dicam) in hoc scriptore conlegeram, componere cœpi, quid quæris: infinitas cōiecturas meas illius iudicio comprobatas, tantum abest vt doluerim, vt maxime etiam gauisus sim. nimirum, quæ tanti viri iam olim in animū venerant, ea me quoq; conicere, seu maus diuinare potuisse. id adeo cōcorditer, vt quasi ex secta prudentiū, eadē nobis ambobus, locis ducentis, & quod excurrit, placuerint. Quæ omnia qualiacumq; fuere, hic praetermittere visum. neque id adeo, nequid sermonis ea res daret liuori; quàm ne citaret nauseam eruditus, & ingeniis nostri sæculi lauris. Surrogavi in locū eorundem leuiora subinde, quæ tamen eò mihi pro magnis habita,

quia vel prætermiffa, vel non animaduërfa à viro magno. Opinionem meam V.I. cuius acumen, & iudicium non modò rebus grauibus, verùm etiam deſpectione aliquot locorum Ciceronis, Taciti ego expertus, dum tu Mantuani Principis ad S. R. Imperij Electores, & reliquos Germaniæ Principes Legatus, in Vbiis me ita humaniter amplexus es, & magnis præmiis in Italiam inuitaſti. Vale, Tullo Leucorum.

EXERTVS cachinnus, latiffimus riſus.

Exclamare longum, exertè, ſolidum.

Prouectus, profectus domum, rus.

Pantapola.

Vriſo, vredo, vri amore.

Saccary.

Quid me fiet emendatus. Cic. in epistolis. & Ennius apud Feſtum.

ſlicet. Deſpoliari. T. pro D. Petro-

nus emen.

Ere, è re nata. Solini locus confirmatus.

Turbauerat πρῶτον &c.

Primary, primores, ſummates.

Mos antiquus oſculandi hoſpites.

Aſty. Athena.

Oſcula, baſia, ſauia, quid differant.

Aſſatim lignorum, piſcatuum.

AE diles flagellorum pœnam inferbant.

Fol. 23. *Dum auſculto quid ſermonis agitaretur, alter extorto cachinno, parce, inquit, in verba iſta.*

Primum quaero, rectè ne coner legere exorto cachinno, vt ea id phraſi dictum ſit, qua multa libris ſequentibus. *exerta voce, exertè clamare*, & lib. quinto. *longum exclamare*. & lib. quarto, *solidum exclamare*. De riſu ſuperſt alter locus non abſimilis, qui ad texendum è lib. vi. vt emendetur. *Venus* (ait) *latiſſimum cachinnum extulit*, & *qualem ſolent ſurenter irati*. legendum arbitror, *latiſſimum cachinnum*, ſuadente ipſo Apuleio lib. x. *Ac dein riſu ipſe quoque latiſſimo aduſque inſteſtinorum dolore redactus*. Iterum lib. vii. De aſino: *cœpit riſu latiſſimo gēſtire*. alibi eiufmodi cachinnum clariffimum nuncupat.

fol. 40. *Sed (vt fieri adſolet) ſiniſtro pede profectum me compendij fruſtrata eſt.*

Quid ſi legamus *prouectum*: & contrà lib. ix. De aſino, *quam procul ſemotus domum celeri gradu profectus*. quo loco editiones præferunt, *prouectus*. atqui nouum non eſt in ſcriptoribus Romanis, *proficiſci domum*; *proficiſci rus*; *proficiſci ad villam*. imò frequentata eadem huic ſcriptori libro decimo. De cætero, ſiniſtra Apuleio, vt Græco pro infauſtis ſunt itidem

de metamorphosi sua lib. XI. *curiositatis (inquit) improspere sinistrum premium retulisti.*

fol. eod. *Omne enim pridie Lupus negotiator magnarius cœmerat.*

Interpretes mercatorem magnarium explicant celebrem, & clarum; alius eum à magnitudine negotiationis vult dictum. mihi aliquando in mentem venit auctorem dixisse *Pantapola*. de hinc interpretamenti vicem accessisse illa *negotiator magnarius*. Meminit eorum hominum constitutio Nouella Imperatoris Valentiniani. *Græcos negotiatores, quos Pantapolas dicunt, in quibus manifestum est maximam inesse multitudinem, magnamque in emendis, vendendisque mercibus diligentiam &c.* Videndus quoque de iisdem Iacobus Cuiacius lib. X. *Observat. cap. XIX.*

fol. 55. *Ac mox vrigine percita cubili suo applicat.*

Fuit, cùm probarem *prurigine*. at post impensius placuit *vrigine percita*. Sic & infra lib. VIII. *Ad illicitæ libidinis extrema flagitia infandis virginibus effertur.* & hic reponebam illud *vriginibus*. Solens est tropo ab igne & illius proprio sumto amorem designari. Virgilius:

Vritur infœlix Dido.

Ouidius:

Vror, vt induceto ceratæ sulphure tede,

Vt pia fumosis addita thura rogi.

Idem apud eundem Paris, post declaratum amorem suum, subdit;

Si tamen expectas vocem quoque rebus vt addam,

Vxor. ———

Vrigo, & quo alibi Apuleius vtitur, vredo, idem valent. vsi vtroque alij scriptores idonei, vt Cicero, Plinius; pro eo, quod Græcis est, *καυθμός, καύσις.*

fol. 56. *Operulas etiam, quas adhuc vegetus saccariam faciens merebam.*

Putavi aliquando adsentendum iis, qui *sagariam* restituerent. at nunc alia mens est. etsi enim *sagaria*, vt *saccaria*, cùm alibi, tum in Pandectis iuris reperiantur, placet tamen editam lectionem tueris mouet me l. prima, titul. XXII. lib. XIV. Codicis Theodosiani, cuius partem adscribo, vt munus eorum hominum innotescat. *Omnia, quaque aduexerint priuati ad portum urbis æternæ, per ipsos saccarios, vel eo, qui se huic corpori permiscere desiderant, magnificentia tua iubeat comportari.* Idem Vlpianus de contrahen. emptione, *Si quid ex sacco saccarij cecidisset.*

fol. 81. *Quid inquam [de] me fiet, ubi iste ingulatus mane apparuerit?*

Imitatus eos, qui dixere, *quid me fiet?* ideoque præpositionem expellendam credo. Terentius Phorm. *Quid te futurum est.* G. E. nescio herclè. Lucilius lib. xxviii. Satyrarum.

Quid me fiet? siquidem non vis te improbis committere.

Plautus Epidico:

Quid illa fiet fidicina igitur? N. aliqua res reperibitur.

Idem Casina ————— tuo quid factum est pallio.

Cic. Terentiæ lib. xiv. epist. quarta. *Sed quid de Tulliola mea fiet? iam id vos videte.* auctoritate membranarum tollo etiam hinc de. quod genus loquendi nisi in ipso Cicerone repertum foret, explodere voluissent nescio qui pueri. Ennij versum apud Festum in me, pro, mihi, non semel suspectavi, ut corruptum. *Si quid me fuerit humanitus, ut teneatis.* Restituendum existimabam. *Si quid me suat hum. ut te.*

fol. eod. *Cui videbor vero similia differentia proferens vera?*

Insisto vestigiis lectionis vulgatæ, & corrigo:

Cui videbor verosimilia deferre, proferens vera.

fol. eod. *Hæc identidem mecum [replicabam.]*

Tale etiam illud libro decimo De asino: Sic ipse mecum {replicabam}. Nihilominus tamen utrobique adulterinum videbitur scriptoris huius stylum consideranti. apud quem nimis quàm usitata hæc. *Et sic mecum. Et sic ad illum. Et mecum.* alia similia sexcenta.

fol. 84. *Hem, & si tu alicuius facinoris tibi conscius scilicet mori cupis.*

Non incommodè videtur scribi posse: *licet mori cupis.* Ilicet, pro statim, Plauto, Terentio, Sallustio placuisse, pueri sciunt. tum vsu illud pro comperto est, inuicem has voces sæpe commutatas. Apud eundem libro quarto: *Vestem str angulam subducltam scilicet iactare destinaret.* postula sententia, *Ilicet.* Iterum eodem lib. IIII. *quanquam satis cupidi, tamen sine mora parabunt ilicet idoneam sui sanguinis redemptionem.* & hic in vulgatis sedet scilicet.

fol. eod. *An ignoras inepte nudum nec à decem palestritis te spoliari posse.*

Plauti imitatore[m] esse Apuleium nemo nescit. vnde scribendum

bendum suspicor, de spoliari posse. Plau. Asinaria sc. Vnum quod-
que,

Aliam nunc orationem despoliato prædicas,

Longè aliam præbes inquam nunc, atque olim, quem dabam.

Glossæ veteres eundem despoliator. Cicero Terentiæ: *Illud doleo, qua
impensa facienda est, in eius partem te miseram, & despoliatam ve-
nire.* lib. XIV. epist. II. Quin & ipse Apuleius lib. II. & secunda A-
pologia sua dixit, *tegmine despoliare, despoliare pudore.* Petro-
nius de fabis loquens, *dentibusque folliculos peritè spoliat.* malim
despoliat. Præterea non hîc primùm est, cum in mutuuum locum
immigrarint hæ litteræ D. & T. nam infra apud eundem hunc
libro III. De asino, *Luçantem me ac diu renidentem.* an quis ambi-
gat quin scribendum sit, *renidentem.* Itidem libro tertio Florido-
rum emendo hæc: *Quippe non promptè veniam impertire rarenter
adeunti, assiduitatem eius requirentis est.* malè in hunc vsque diem
edidère, *adeundi.*

fol. cod. *Vnde autem inquit scio, an conuectore illo tuo,
quo cum sero deuerteros, ingulato fugæ man-
des præsidium?*

Nulli his viatoribus equi, aut currus. quare adhuc in senten-
tia permaneo, corrigendum videri, *combitor illo tuo.* Bitere, id est
ire, notum ex Nonio, & Festo. imo *Bitiensis.* huic vt assiduè pe-
regrinantes dicti. Varroni autem inde compositum *combito,* pro
coewo. libro sexto de lingua Lat. & multa ab eodem verbo aliis
Grammaticis præfiscis.

Fol. 91. *At ego mirè afficto ex tempore absurdo ioco, in
alium sermonem intentionem eius deriuo.*

Susplicor legi potius debere, *at ego mi è re efficto ex tempore ab.*
in. in al. sermonem inten. eius deriuo. Terentij exemplo.

————— *nam mi è re quendam offendi ibi militem*

Eius noctem orantem—————

Tum hæc apud Apuleium inemineram lib. quarto: *Ex re na-
ta consilium capere.* Iterum libro prædicto, *remedium ex re nata com-
mivisi.* Similiter dixit quoque libro quinto. *Sed è re nata iuuenem
quendam esse confingit.* Cæsar lib. tertio belli ciuilib. *Ex tempore ca-
pto consilio.* Iterum emendandus Apuleius libro X. De asino. *Ha-
bes solitudinis plenam fiduciam, habes capax necessary facinoris otium.*
in libris duobus erat, *Habere solitudinis,* quod ego leuiter
immutandum censeo, *Habere è re solitudinis plenam fiduciam.* ne-
que Beroaldum aliter sentientem sequor. Solinus de Ascitis.

quibus è re nata datum nomen est. quam scripturam non est cui sper-
nere debeamus.

fol. 94. *Eumque auidè esitantem aspiciens, aliquan-
to interiore macie, atque pallore buxèo defi-
cientem video. sic denique eum vitalis color
turbauerat.*

Restituere conor genus sermonis non inelegans, non inso-
lens. sic denique tum vitalis color turbauerat. sciunt qui Latine
sciunt, multa terminatione actiua, accepisse veteres significatio-
ne passiuà. sic Lilius, alij, dixere mores mutarunt, pro, mutati sunt.
sic color turbasse dicitur, qui valde turbatus, & mutatus esset à
priorè. qua phrasi hic noster paulo post: nam & illa vrit perpetuum.
de ea quæ iugi amore ardeat. Itidem libro de Deo Socratis, &
prope exesa mansuetudine generis sui immanè efferarunt.

fol. 101. *Vir, vt habitus, & habitudo demonstrat orna-
tus.*

Lego, cordatus. quo modo ipse Apuleius lib. v. mater autem tu,
& præterea cordata mulier. pari phrasi vetus poëta Ennius,
Egregiè cordatus homo catus *Ælius Sæxus.*

fol. 103. *Nostine Milonem quendam è prioribus?*

Genuina scriptura est primoribus. Turpilius Pedio:

Nuptias abieci, amicos vtor primores viros.

Sic & auctor noster hoc eodem: iam & de patria, & eius primori-
bus explorans. Rursum & libro secundo de Milonis coniuge
agens, Magna (inquit) primi nominis, & omnis carminis sepulcralis
magistra creditur. Itidem lib. quarto, summatem puellam. & li-
bro vndecimo Deam Isidem summatem vocauit. Pari genere lo-
quendi Byrrenam feminam primatem libro I I. & Democharem
appellauit virum primarium, libro quarto.

fol. 113. *Amplexusque ac comiter deosculatus, mi Lucii
ait, sat pol diu est, quòd interuissimus te. at
Hercules exinde è Vastio magistro digressi
sumus.*

Mos osculandi amicos, & hospites, obseruatione dignus. id pri-
mum est. tum expendenda quæ sequuntur hæctenus certè in mè-
do iacentia: Eluo hoc modo, Musis vt arbitror volètibus. at Her-
cules exinde, vt Asty à magistro digressi sumus. nisi malis hoc par-
tè. exinde vt Asty digressi sumus. Pythiam ipsam condiscipulum
sibi apud Athenas Atticas fuisse ipse Lucius paucis antè ver-
sibus

fibus prodidit. quam ciuitatem Astyn vocatam scio, à Terentio, Cicerone, Vitruuio, & aliis plus millies. Festus, *Asty* apud poetas *astutiam* significat. cuius origo ex Græco ab *ἀστύ*, in quo qui conuersari assidue sint, canis, atque acui esse uideantur. Meminere eiusdem rei Diodorus Siculus, & Stephanus. itidem Donatus, & reliqui interpretes in illud Terent. Eunuch. act. v. sc. v. 1.

An in astu ueni? Accius Neoptolemo:

Sat in asiu, & fallendo callet. Ennius Medea:

Asty, atque Athenas antiquum, opulentum opidum.

Contempla, & templum Cereris ad læuam adspice.

Iam illam particulam, *exinde*, cum sua relatiua, ut, temporis significationem habere, plus satis notum, adstruam tamen exempla, quia prima hinc via nobis facta ad emendationem. Apuleius libro secundo. *Exinde, ut de Euboea insula enauigasti.* Iterum prima apologia, *exinde, ut curiam participare cœpi.* Itidem quoque apologia secunda. sic & Ulpianus: *Legatum habere iurisdictionem nõ exinde, ex quo mandata est; sed ex quo prouinciam ingressus est.* l. 4. ff. de offic. proconsulis. De osculo autem illo plura audiamus, non alia causa, quàm quod cognitus ille mos alibi nobis vsui futurus est. Donatus oscula facit officiosorum; basia pudicorum; sania libidinosorum. Apuleius libro secundo: *qui ut primùm me conspexit, est, inquit, Hercules hic Lucius, & offert osculum.* Iterum de Fortide puella, dicto libr. *& osculato tuo capite, quàm inuita discederet uultu prodidit.* Itidem quarto de asino: *Sic enim primus aditus, & sermo prolixus, & oscula mutua.* Itidem lib. septimi principio. ubi Hemus Threx à latronibus dux factionis eligitur, antè socios omnes exosculatus, quàm inauguraretur. Cornelius Tacitus de Othone: *nec deerat Otho protendere manus, adorare uulgum, iacere oscula, &c.*

fol. eod. *Abnuebam. quippe qui iam cœna affatim piscatum prospexeramus.*

Fortè an scripserit ipse auctor, *affatim piscatus*, vel *piscatus*, quo modo Liuius, *habetis affatim lignorum.* Idem alibi: *Agri affatim materie præbebant ad noua opera molienda.* quin & ipsemet Apuleius libro sequenti hac phrasi dixit, *Vtensilium pollemus affatim.*

fol. 119. *Et florem Thessaliæ [regionis] instar solitudinis, & scopuli edulium caritate deducitis.*

Scripserim primùm *diducitis*, abiecto nihilo minus illo regionis. Infra libro tertio, inquit: *splendidissima, & unica Thessaliæ ciuitas.* Verba autem prædicta ædilis sunt obiurgantis cupidinarius.

quòd pisciculos minimos carius indicasset, sed coërcitionem eius, vt, nimis lenem ridet Apuleius. nam præterquam quod pisces pro pedibus abiici per officialem suum, & conteri pedibus ædilis curauerit; etiam flagellorum pœna in venditorem animaduertere poterat, auctore Callistrato: *sed nequidem arcentur honoribus, qui ab ædilibus flagelli casti sunt. quanquam iure suo ædiles officio isto fungantur.* l. eos qui. ff. de decurionibus.

GODESCALCI STEV-
VECHI IN L. APVLEII

LIB. II. DE ASINO

QVAESTIONES.

God. Stevvechius Theodoro Alyfio Lotharingæ Præsidi. S.

SAEP E id clarissime Domine Præsides, re ipsa compertum, qui imbuti artibus bonis, etsi nunquam se mutuò viderint, dilexisse inter se, imò non secius, quàm si coram inita, & longa consuetudine confirmata foret amicitia, amasse. De beniuolentia tua erga me, id mihi credas velim, etsi multis nominibus gratam, eò tamen gratissimam fuisse, quòd illam tam prolixam declarare dignatus sis, & quidem in eum, què vel solo nomine vix potueris nosse. Cæterùm ab istiusmodi viris, ea humanitate, ea scientia, ea rerum experientia præditis, qua tu; non solent beneficia nisi maxima proficisci; non nisi in promerentes suo loco, & tempore conlocari. Liberorum tuorum contubernio, & præsentia dies aliquot magna cum voluptate vsus, functus sum. Vnus Frãnciscus iis moribus, eo erga studia affectu, vt solus ille (etsi cæteris nihil detraho) faturus sit sat idoneus, in quo omnium Alyfiorum spes cõquiescant. Abstrahor nunc ab illo etsi perinuitus. Nihilominus tamen, si quid erit in quo commodare illi, aut fratribus potero, non committam, vt conqueri possis cùm ingrato tibi rem fuisse. Vale, & vt cœpisti Stevvechio fauere perge.

*Alteruari. Alternari sermonem, Quaquã. Apuleius extra ordinẽ
pocula. pluries correctus.*

Geminate

*Geminatae literae, syllabae. Cicero-
nis duum locorum, pluriū Apu-
ley restitutio.*

*Salus, Aue etiam discedentes di-
xisse.*

Iusculum, recula, specula à spes.

Bono animo es Stata ratio.

*Optimum pro optimum. Retegere ca-
put.*

Vereor tui. Cerdo.

*C. literam & S. superflue olim in-
serebant.*

*Accij versus tentatus. Matura-
re. Obnitio.*

*Lausus, is à Decemviris, & ante
à Solone in funere inhibitus.*

*Sermonē interficere, verba deuora-
re, Interstrepere, singultibus.*

*Postliminium. Distringere con-
tentionem.*

fol. 126. *En, inquit, sanctissima Salviae matris genero-
sa probitas. sed & cetero corporis exaequaliter
ad regulam, quam diligenter aliquid adfigunt
sunt congruentia.*

Vide quæso num rectè restituerim, sed & cetera corporis ex. ad
reg. q. d. aliquid adfigunt. Omnia inquit lineamenta maternæ
formæ in filio obseruata. nō secus, atque si ad regulam, ad amuf-
sim hic factus fiet, ad quam examinare, & formare sua solent di-
ligentes architecti, pariter libro secundo extremo emendandum
videbatur & illud, sed cum primam plateam vadimus, geminatione
videlicet vnus syllabæ, & rescribendum, plateam inuadimus. qua
phrasi dicit libro tertio, populum sic adorat. alibi alia.

fol. 131. *Dum hunc, & huiusmodi sermonem alter-
catur.*

Alterum hanc & non bonam scripturam puto, probè emenda-
re videor, alternamus ad eum modum dicti Horatio alterni sermo-
nes, ἀμοιβῶν λόγῳ. Festum audi: altercatio (inquit) iurgatio; alter-
natio per vices successio. Apuleius hoc eodem libro: sequensque, &
tertium inter nos vicissim, & frequens alternat poculum. Corrigendum
similiter, mea opinione, libro nono: atque illos, qui me a tuis & per-
nigiles excubias agitauerant, ausculto de meis sic alternare fortunis.
nam quod ibi editur altercari, non placet. Iterum dicto li-
bro nono frequentatum in omnibus editionibus, iam his pocu-
lis mutuis altercantibus. repono, alternantibus. Rursus apud eun-
dem libro v. sic secum altricantes, quid soror dicimus, & c. malim al-
ternantes.

fol. eodem. *Palmaris Deæ facies quæque pinnis expli-
citis.*

Emendo, quæquæ pinnis explicitis. Itidem lib. v. conualles lacunose,
ranaeque nimirum spinetis aggerata, & quæquæ versus reposita. perperam

enim in vulgatis codicibus supposuere, *quanquã versus*. Similiter & libro vndecimo De asino, ipso principio libri, scribo, *quoquo ritu, quaquã facie te fas est inuocare*. in Parisiensi editione, & Beroaldina retinuerunt, *quaque facie*. non rectè, vt opinor.

fol. 137. *Tunc minus morigeros, & viles fastidiens in saxa, & in pecua, & quoduis animal puncto reformat.*

Quin reponam, *vt viles fastidiens*. dicta enim hæc de Pàmphile Milonis coniuge, hospita ipsius Lucij. quæ vt quemque iuuenem conspexisset forma liberali, illico in eum & oculus detorqueret, & animum; statimque amoris pedicis irretire conaretur. si quos verò reperiret, quorum mens occalluisset ad blanditias; eos vt spreto à se, & vilia capita, magicis artibus miserè exereret.

fol. 140. *Et salue addito ad Milonis hospitium perniciousiter reuolo.*

An non reponenda litera, quæ negligentia libratorum, seu potius inueterata scribendi consuetudine geminata non est perniciousiter reuolo. pariter & apud Ammianum Marcellinum libro vndeagesimo: *ita curatè pollinctus*. anne inquam scribendum? *ita accuratè*. In Apuleio equidem hæc ratione plura emaculare conabor. apud quem libro tertio: *Ipse denique dux, & signifer validissimè aggressum*. Flagitat istiusmodi geminationem ipsa sententia, *validissimè me aggressum*. Iterum libro quarto constituenda etiam hæc: *quanquã valido, repentino tamen pulsu*. dicta de vetula constituenda, *quanquã invalido*. Itidem in oratione Veneris ad filium dicto libro, his verbis: *Et in pulcritudinem contumacem reuenter vindica*. vides scio geminandam denuò ac retrahendam syllabam, quæ in fine præcedentis vocis hæserat: *in pulchri contumacem inreuenter vindica*. Pertinet etiam huc illud libri septimi: *Dũ secum mitissimi homines alterat de mea nece*. legendum enim, *dum secũ immittissimi homines alternant*. Simile quoque mendum libro vndecimo De asino in omnibus adhuc editionibus adhæsit, *tu rotas orbem luminas soles*, scribere enim debuerant: *rotas orbẽ, in luminas solem*. Recurro ad librum quintum, vbi illa: *Instru- Etique variè, partim gladijs armati, in lemures reformat*. rescribo, *in lemures reformat*. quod valet, *in lemures se ref*. Non aliunde iuuanda sententia libro octauo De asino: *ad istum modum saluti quisque sua consulebat; interea, quidam, &c.* non aliunde, quam quo modo dixi, *ad istum modũ dum saluti*. Etiam in scholastica illa Ciceronis oratione in Sallustium medicina egent hæc verba:

His moribus amicum tibi facere non potes, videris velle inimicum habere. lego, amicum cum tibi. Dabo alia in quibus putatione opus. Apuleius: *Interim dum Psyche quaestioni Cupidinis intenta populos circumibat, ille vulnere ingemebat. petuerfa enim istic editorum librorum scriptio, interpunctio: circumibat. At ille vulnere. simile hodieque mendum initio libri vndecimi De asino. ne quicquam rerum mearum reformides. scribo, rerum earum. Quin & in prima Apologia huius scriptoris deprauata lectio, ob literam malè geminatam: idque se ait Crassus, quanquam meo tempore vel Alexandria fuerit. recta scriptura erit, eo tempore. Redeo quanquam longo interuallo ad ea, vnde digressi sumus, hoc est ad formulam: *Es salue addiso.* quod à discedente hic dictum obseruandum putavi, cuius loci vulgus magis frequentatum putat *Vale.* itidem vt in conclusione literarum, iuxta illud Ouidij libro quinto Tristium, elegia XIII.*

Accipe quo semper finitur epistola verbo.

Atque meis distent, vt iua fata Vale.

Cæterum non semper & in literis eam formulam seruatam ostendam. Tullius & Cicero Tironi lib. xvi. epistola nona: *Et iam atque etiam noster Tiro vale.* Disertim in membranis perscriptum: *Tiro salue.* Eodem modo in extremis Catilinæ literis ad Q. Catulum, vt apud Sallustium videre est, additur: *Aueto.*

fol. 142. *Fotidem, que suis dominis parabat inscium farium circumscisum.*

Quod auctorem in diminuendis vocibus libenter ludere animaduertissem, quod testantur hæc pauca è plurimis. mensula, anicula, seniculus, basiolum, vinctulum. specula à spes, recula à res: restituere putabam *insculum.* nisi verius sit *iscium.* de quo nos alibi.

fol. 147. *Sitque indicij huius apud me certa, & statuta ratio.*

Vereor ne genuinum sit *stata ratio.* eamque scripturam pluribus postea locis recipiendum.

fol. 157. *Ad hæc illa rursum me deosculato, bono animo esto, inquit.*

Suauius ad aures accidere visum, *bono animo es, inquit.* pariter vt loquitur apud Nonium Lucilius, in *Es, pro Eslo, Conyge te, in- tre, ac bono animo es.* Item Plautus *Amphi.* *bono animo es.* Nec aliter Apuleius libro proximo: *Bono animo es, quod ad huius rei curam pertinet.* Iterum libro septimo: *Bono animo es, inquit, Charite dulcissima.*

fol.160. *Mittit mihi Byrrhena xeniola, porcum optimum, & quinque gallinulas.*

Restituendū videri & hic, & infrā sæpius, *optimū*, in Coniecta neis ad Frontinū indicaui. Malè quoque distinctum, quod mox præcessit de capillis Fortidis: *Quid cum frequenti sobole spiritus cumula verticem, vel prolixa serie porrectus dorsa permanat?* interpungo, *Quid? cum frequenti. eamque phrasim nimis sæpè Apuleio periisse* obseruavi, sed longum mihi sit commemorare, tibi legere tædiosum, Proponere malo quod paulò superius hoc eodem libro monere propemodum oblitus eram. *Quin, inquit, etiam vel ipsam parentem tuam accedis & salutas. vereor inquam ignotæ mihi fæmine. & statim rubore suffusus reiecto capite restiti.* Tam liberaliter educatum vt iste erat Lucius, caput reiecisse, & cum summa humanitate opus erat, maximè inhumanum, inciuilem se præbuisse, non credimus, eoque restituendum. *reiecto capite.* Quod autem interpres ad superiora illa: *vereor inquam ignotæ mihi fæmine.* extrinsecus subintelligendum putat, *me offerre, vel tradere; vel aliquid simile,* errorem animaduertis, quòd illi in mentem non fuerint hæc Varronis, Sardis, Venalibus:

Non te tui saltem pudet, si nihil mei reuereatur.

Item Afranij illud Compitalibus:

Si non vereate, nemo vereatur tui.

Item alia eiusdem Afranij, Accij, & Pacuij, quæ apud Nonium Marcel. de numeris, & casibus.

fol. eod. *Diem ceterum lauacro, ac dehinc cœna dedimus. Nam Milonis boni concinnaticiam mensulam rogatus accubueram, & c. cum ecce.*

Emendo: *Iam Milonis boni c. m. r. ac. cum ecce.* Simile Plauti. *Merca. Iam addicta, atque abducta erat, cum ad portum venio.*

fol. 167. *Cerdo quidam nomine negotiator accessit, eum diem commodum peregrinationi cupiens.*

Credere nequeo tò nomine ab ipso Apuleio esse. quippe adsumtum ab eo qui dignus cerdoni Martialis seruire perpetuum. subdit ipsemet Apuleius paulò postea: *Hæc eo adhuc narrasse mæsto, cerdo ille negotiator nummulis suis correptis, & c.* Festus: *Cercopa vocant Græci lucrari undique cupientem, quasi κέρδιον, quem nos quoque lucronem vocamus.*

fol. 171. *Nam & pueris extra limen, credo vt arbitrio nocturni gannitus ablegarentur, humi quàm procul noctur-*

distratum fuerat meum grabatulum.

Corrigendum autumo, atque in ordinem redigenda verba. Nam & pueri extra limen; credo, ut arbitrio nocturni gannitus ablegarentur quam procul. humi distratum fuerat meum grabatulum. Quod ad verbum distratum, verbo non contendam. nam & in Vegetio pro equis distratis, suppositum fuisse distractis, ibidem ostendi, addidi mendi originem inde esse, quod consonantem C. multis locis inferere, vel adimere solent librarij. sciunt, qui membranas antiquas volutarunt. ad hoc testis mihi Festus in *Dumēta*, in *Deblacterare*. Eodem modo, seu more S. literam inferebant, attestante eodem Festo in *Dusmosum*. Quinimodò & typographos Germanos, præsertim priores illos, id religiosè secutos in variis codicibus obseruavi: adeò, ut non tantùm ob inuentam præstantissimam atque vtilissimam artem typographicam; verùm eò quoque honorem habendum censeam; quòd codices manuscriptos Germana fide exprimere, quàm in excudendis iis suo arbitrio maluerint vti. An non hinc in vno Apuleij exemplari Basilienſi: *præfatio*, *blactero*, *victricus*, *inchoactus*. pro *præfatio*, &c. & contra, *condictum*, pro *condictum*. tu in illa, *honestus*, *hostiatim*, *cohortus*. Itidem: *elargulo*, *grassus*, in quibus G, pro C. Similiter & consonantes non geminatae, in *polutus*, *inaccessus*, *penatus*. Præterea non leuia quoque indicia scripturæ vetustæ typis fideliter reddita, in *beniuolus*, *malivolus*; in *omnis*, *tris*, *puerily*, pro *omnes*. In *ansius*, pro *anxius*; contra in *existimatio*, pro *æstimatio*; in aliis sexcentis, quæ in illa editione diligens lector facilè deprehendat.

fol. 177. *Paulis per etiam glabella femina, vel rosea pal-la [potius] obumbrans de industria, quam regens verecunda.*

Si quid video, scripsit Apuleius absque illa particula [potius] *obumbrans de industria, quam regens verecundia.*

fol. 180. *Sed heus tu, inquit, caue cœna regrediare maturius.*

Ex mente Fotidis reponendum *immaturius*. nolbat enim ipsa tardius redire Apuleium à cœna, propter metum grassatorum. Itidem libro sexto Venus inquit: *Sed haud immaturius redito*. Cicero III. Offic. *venit ipse maturè*. vide Nonium in *Maturare*. Emergare conabar Accij versum Menalippo apud Noniũ, in *maturum*. Est res aliqua, quam præſente his prius *maturare* institit. qui vulgatur, que præſente his prius *maturè* in.

fol. 181. *Tibi verò fortune splendor insidias; contemptis*

etiam peregrinationis poterit adferre.

Scibe meo periculo, peregrinatio po.

fol. 191. *Omniumque ora, & obtutus in unum quempiam angulo secubantem conferuntur, qui cunctorum obstinatione confusus.*

Puto non conferuntur expungendum. & paulo post scribendum, obtusione.

fol. 201. *Ibi corpus splendentibus linteis coopertum, introductis quibusdam septem testibus, manu releuat, & diuine visu praefeto.*

Repertum in alijs codicibus, usu praefeto. vnde fortè quis effecerit, viso, perfeto. sed verius esse existimo, & diutino lausu praefeto. eò quod hæc ante iustum funus fierent. lausus meminit Nonius in *Silicernium*. & pariter leges XII. tabularum. Imò ante tabulas istas à Decem viris vulgatas, lausum, vel vt alij vocarunt, lessum, in funere prohibitum à Solone, testes mihi Cicero secunda *Tusculana*, & *Plutarchus* in Solone.

fol. 211. *Sic ille senior lamentabiles questus singulis instrepebat.*

Tuum iudicium erit, verior ne sit coniectura mea scriptura vulgari: *questus singultibus interstrepebant*. vide quæso quod modò præmissum est: *manibus ambabus innadens torum, voce contenta quidem, sed adsiduis singultibus impedita*. pari ferè phrasi infra libro quinto: *Suscipit* (inquit) *Psyche singultu lachrymoso sermonem incertans*. Simile planè illud Apuleij libro sexto: *Dum hæc identidem puella replicat, votisque crebros intermiscet suspiratus*. simile quoque libro vdecimo *De asino*: *Singultu crebro sermonem interficiens, & verba deuorans*.

fol. 213. *Reducere ab inferis spiritum, corpusque postliminio [mortis] animare.*

Dicam, etsi fortè audacior videbor, illud, *mortis, suspectum mihi esse, tanquam ab aliena manu huc adscitum*. Iuuat me quod libro tertio idem auctor ita collocauit id verbi postliminium absolute: *statimque* (ait) *in meum Lucium postliminio redibis*. Iurisprudentes verò aliter ea voce vsos non memini, iuris quoque non imperitum fuisse Apuleium adæquè certum est. Præterea non alia mea opinio est, quàm mendosum quoque esse quod subiiciam ex libro decimo: *surgentem postliminio [mortis] apprehendit filium*.

fol. 218. *Sed hanc contationem sequens adolescentis ser-*

sermo distinxit.

Æstuans populus, & scissum studia in contraria vulgus; cū reuocatum postliminio ad vitam audiret iuuenem, aliis alia placere: hi matrem, quæ venenum in mortem propinasse diceretur, statim è vita tollendam, alij loquenti cadaueri fidem non habendam contendebant. vnde mihi in mentem venit genuinam lectionem fore: sed hanc contentionem se ad. sermo distinxit.

GODESCALCI STEVVE-
CHI IN L. APVLEII

LIB. III. DE ASINO

QVÆSTIONES.

God. Ste. Iacobo Susio V. N.

S. P. D.

NARRABO quod actum est, mi Susio munus non dico parabam, sed debebam tibi, dignum viro nobilissimo, grauissimo; viro inquam dies, noctes in litteris habitanti. cæterum eò res rediit, præter exiguas non mendedatiunculas, sed quæstiunculas in præsens mittere nil possum. Vides quid inita mecum familiaritas, quid pacta, & firmata inter nos amicitia fides negocij tibi faceflat. prius namque molestiam, quàm gratitudinem meam experiris. vt qui muneris loco onus accipis. Quid tibi debeam non me præterit: quantum præstare conatus sim, tuum erit expendere; ipsūque primum hunc arrhabonem amoris in te mei, seu potius obseruantia, animo æquo suscipere. quod equidem te pro ingenita humanitate tua non modò prolixè facturum; verum & rudia hæc, acutissima iudicij tui lima libenter expoliturum confido. vt quod omnimodis desiderant, à gravitate tua specimen, ab ingenio tuo perfectionem adipiscantur. Vale, &, vt soles, me redama.

ANGVLATIM. *Nihil quam
flet. Non, pro non modò.
Exerit letitia delibutus. Apuleius*

*mendo liberatus.
In lapidem stetit. Cusor valetudinem, pro causor.*

Cudere, recudere in malam partem

V. lmea.

Scindula. Casar correctus. Alius

huic mordices asinini.

Iupiter hospitalis.

Epona, seu Hippona dea.

Semones, medioxumi, dū presides locorum, Genj.

Varronis apud Fulgentium versus tentati.

fol. 229. *Circumductus angulati forum, eiusque tribunal adstituor.*

Hæc putabam correctum iri hoc modo: *circ. angulatum forum, vsque tribunal adstituor.* Apuleius libro nono extremo: *angulatum cuncta sedulo perlustrari iubent.*

fol. 235. *At ego nihil tunc temporis quàm flere poteram.*

Si quid ego de cōsuetudine loquēdi huius auctoris imbibit, nūquā *poteram* ab illo ipso hic adscriptū fuit. Suetonius Claudio: *Nihil nota via, quàm esset ne sibi saluum imperium, requirens.*

fol. 237. *Simul eximie metuens et hospitibus meis, et mihi, gladiolo, qui me propter huiusmodi pericula comitabatur armatus, fugare, atque proterere ag gressus sum.*

Interpungendum, ac rescribendum credidi: *comitabatur armatos fugare.*

fol. eod. *Sic pace vindicata, domoque hospitis, at salute communi protecta, non tam impunem me; verum etiam laudabilem publicè credebam fore.*

Restituit Beroaldus: *non tantum impunem me. cæterum germanum arbitror fore: non iam impunem me.* Neque insolens particulas temporis subsequi eo loci, vbi ablatius casus præcedens adverbij notionem supplet. ostendi in Particulis linguæ Latinæ. Et inde quoque manifestum est Ciceronem, Plautum, optimum quemque Romanorum libenter collocasse non pro non modò, non tantum, &c.

fol. 244. *Et certè letitia delibuti, meque respectantes cuncti theatro faceffunt.*

Verosimile, scripsisse auctorem ipsum, *Exertè*, vel vt antiquitas solet, *eccertè letitia delibuti.* vt duplex c. e. esset loco x. idque minus animaduersum deprauandi Apuleij causam dedisse. supra libro primo: *Iunior (ait) introrupit exertè elamitis.* Et fuit eum apud eundem

eundem auctorem ita restituendum putarem lib. vii. extremo:
Eiulans, & exerte proclamans. nam minus sincerum videtur illud
 in libris editis, *eiulans, & exinde proclamans.*

fol. 246. *At ego, ut primum laciniam illam prehenderã
 fixus in lapide steti gelidus.*

Expende quæso coniectaneum hoc, *in lapidem steti gelidus*, hoc
 est non aliter obrigui timore, quàm si totus in lapidem forem
 conuersus, ad hanc normam alia eiusdem Apuleii alibi suppedi-
 tamus.

fol. 249. *Verum statuas, & imagines dignioribus, meisq;
 maioribus reservare suadeo.*

Probat correctionem ipsa sententia, *meque maioribus.* hoc est,
 qui me maiores sunt.

fol. 251. *Raptim denique paupertina Milonis cœnula
 perfunctus, curatusque capitis acrem dolorem,
 quem mihi lachrymarum assiduitas incusserat, cu-
 bitum, venia facile tributa, concedo.*

Non est quod iudicem scribendum *cusatusque* quippe fat no-
 rus tibi, nobilissime Susi, antiquorum scribendi modus, *frudo, clu-
 do, cuso*, pro *fraudo, claudo, causo*. Porrò causam dicere, vel causari
 valetudinem, pluuiam, tempestatem, alia, quò minus aliquid
 fiat, plus satis tria.

fol. eod. *Sed quod alterius rei causa facere missa sum,
 mala quedam mea fors in tuam recedit iniuriam.*

Quid si sic ea legantur? *mala quedam mea fors in tuam recedit in
 iuriam.* vide rectè ne fecerim, qui ipsius auctoris, qua paulo post
 subduntur, præ oculis habuerim. *quod tuum factum seuitas conse-
 cuta in meum conuertit exitium.* Recudendi vocem eleganter huc
 translata non ignoras. tum notum lippis atque tonforibus pro-
 uerbiū: *In te isthæc cudetur faba.*

fol. 256. *Tūne ultima non cessas subinde lectorum iuue-
 num capillamenta surripere.*

Scio amicum Plautino exemplo reposuisse, *tūne Miluina*. Vi-
 dendum tamen, sit ne hæc coniectura ingeniosissimi, amicissi-
 mi Gabrielis Rolandij ad scripturam vulgarem accommoda-
 tior? & adeò ad eiusdem Plauti imitationem? *Tūne vltima non ces-
 sas.* in virgis vltimis frequentes ioci Plautini & in seruos conue-
 nientissimi.

fol. 257. *Pamphile mea iam vecors animi te etum scandulare conscendit.*

Scindulas appellandas, quas passim in libris scandulas vocant, ad Vegetium demonstraui. Item apud Cæsarem viii. belli Gallici: *cupas seuo, pice, scandulis complent.* scribo, *scindulis.* & apud Apuleium, *Scindulare.* Certè siue à scindēdo, siue à *αἰσδαμῶς*. [V. gloss. *αἰσδαμῶς*.] quod apud Aristophanem est, scindulæ non immerito appellantur. eadem vox, vt à viro doctissimo, quem honoris & amoris causa nomino, Iacobo Campio, inquam Decano, & Officiali Bonnensi audiui, hodieque Aquisgranensibus in ore est, nec minus in vsu ipsæ scindulæ, quas illi *scindulen* appellant. Vsi quoque esse in hunc diem Bohemis, Lotharenis, aliis nationibus, non est operæ pretium indicare.

fol. 268. *Et illa quidem magnis suis artibus volens reformatur: at ego nullo decantatus carmine.*

Corrigo volente sententia, *magicis suis artibus.*

Virg. iiii. *Aeneid.* ——— *inuitam magicas accingier artes.*

fol. 273. *Adiuuro per dulcem istum capilli tui nodulum, quo meum vinxisti spiritum, me nullam aliam mea Fotidi malle.*

Facile perspicis quid induxerit magnum interpretem, vt mutaret, *nullam aliam mea Fotide malle.* Sed obseruatum hoc est, Alius non secus cum tertio, quam cum sexto construi, atque ad eò frequentari ad eam similitudinem alia, vt hæc, *Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.* Sic & Arrius Menander: *qui præpositum suum me protegit, cum posset, in pari causa factori habendus est.* l. omne ff. de re militari.

fol. 279. *Deliberavi an nequissimam, facinorosissimamque feminam illam spissis calcibus feriens, & mordicus adpetens, necare deberem.*

Conueniens asino vox erit, & *mordicibus adpetens*, ad hoc, *Plauina*, imitatio est, cuius Aulularia hic versus:

Asini me mordicibus scindant, boues incurserunt cornibus.

Consulendus quoque de eodem Nonius.

fol. eod. *Sed proh Iuppiter, hospitalis, & fidei secreta numina.*

Concinniorem scripturam arbitror: *hospitale ius, & fidei se nuxta illud poetæ:*

Iuppiter hospitibus nam te dare iura loquuntur,

Famen & Iouem ipsum hospitem nuncupauere Cicero, Aristoteles, Homerus, alii. quod ius istud conseruaret, ac violatores eius puniret.

fol. 280. *In ipso uero meditullio Hippone Dea simulacrum residens adicula.*

Omnino legendum, *presidens*. Q. Curtius libro quarto: *Patrio more*, inquit, *sacrificium diis presidibus loci fecit*. ad eundem modum dicta ab Arnobio multa, imprimis illud lib. iv. *presidatum focorum Deus iste sortitus est*. Idem libro tertio: *nisi pecorum sanguine de libus suas conspexerint arulas, suos deserunt, abiciunt presidatus*. Hipponam Deam stabulis presedisse, præter Apuleium, testatur quoque in Octauio suo Minutius Felix: *nisi quod vos* (inquit) *& totos asinos stabulis cum uestra Hippona consecratis*. Erat porro hæc Dea cum Priapo, cum Vertumno inter deos Semones, quo teste Fulgentio ita nominauere antiqui, quod nec cælo dignos censerent, neque terrenos deputare uellent. Varro Mystago.

———— *Semoneque inferius derelicto.*

Deum pinnatum attollam orationis eloquio.

Apud Fulgentium in Semones. aliter uulgaratur, *Deum depinnato attollam*. Atqui hos Deos, Medioximos ab Apuleio, & philosophis appellatos memini. Apul. lib. De dogmate Platonis: *Tertium*, inquit, *habent, quos Medioximos Romani ueteres appellant: quod ex sui ratione, & loco, & potestate Diis summis sunt minores, hominum profectio natura maiores*. Dii superi & quos uocant maiorum gentium, numerati à Lactantio Firmiano Iuppiter, Apollo, Neptunus, Mercurius, Mars, Vulcanus, libro i. Diuinarum Institutionum, cap. xv. Quod ad Deos presides quorumque locorum, magno illos numero à Romanis cultos, Geniosque dictos fuisse, testantur uersus Prudentij aduersus Symmachum, quibus ille nimis ridiculam & stultam in hac parte antiquorum superstitionem insectatus est:

Quanquam cur Genium Roma mihi fingitis unum?

Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis.

Adsignare suos Genios, perque omnia membra

Urbis, perque locos Geniorum millia multa.

Fingere. —————

Illud penè imprudens præterieram, docuisse in Aduersariis suis Adrianum Turnebum lib. xxiiii. cap. iiii. & Iacobum Pamelium in eruditissimo Commentario suo ad Tertullianum ap probasse; Deam illam de qua modo egimus, *Eponam*, non *Hipponam* nominandam, quanquam aliter id nomen uulgetur apud

Tertullianum, Prudentium, Iuvenalem, & quorum testimonia nos supra laudauimus, Fulgentium, & Minutium Felicem pro Turnebo stare quoque videtur inscriptio antiqua, quæ in valle Laentina: HERCVLI. ET. EPONE. Dissentit nihilominus à Turnebo Lilius Gyraldus libro primo de Diis gentium.

fol. eod. *Et largo strepitu percussis ianuis, trepido etiã rumore vicinix conclamantis latrones, profugit territus.*

Geminandam vocem arbitratus sum, & legendum, *vicinia conclamantis latrones, latrones.* qua formula apud Ouidium quarto decimo Metamor.

Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur.

Itidem vt apud Horatium lib I. Ode xxxv.

Ad arma cessantes, ad arma

Concitet. ———.

fol. 286. *Tunc igitur à rosis, & quidem necessario temperavi, & casum presentem tolerans, in asini faciem fœna rodebamus.*

Periculosa dubio procul coniectura, maximè si desint codices antiqui, quorum vestigiis nitare. verùm enim uerò permittendum nonnunquam neruos ingenij experiamur, sicubi aut hiulca scriptorum oratio, aut luxata sententia appareat. quam opinionem meam videbo si probaturus sis. deinceps has coniecturas præcedentem Apuleij locum considerandas tibi relinquam. *in asini faciem fœna vt mus rodebam, vel in asini faciem fœna Lucius rodebam.* facere eo videtur quod legitur principio lib. sequentis: *nec me cum asino, vel equo meo compascuus cætus artinere potuit, adhuc insolitum alioquin prandere fœnum.* Illud ex libris hisce palam est, auctorem ipsum in forma asini, veteris Lucij sui oppidò frequenter recordatum, tum nulla de re magis conquestum, quàm quod errore Fotidis in asinum transformatus esset, cum canes rapinis sat lautis inescari, aut cœnarum reliquiis distendi videret.

GODES-

GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. IIII. DE ASINO

QUESTIONES.

God. Ste. A. Gerardo Dalantho Medico

S. P. D.



DIE AM ingenuè, ex popularibus, & ciuibus nostris vnum te, iam inde à pusillo puero, & suspexi frequenter, & annis crescentibus vnicum æmulatus sum. Didonem tragœdiam tuam quotiens inspicere soleo, totiens non imago tua, verum & ingenij quoque acumen, venustas inorum mihi repræsentari. Quisquis eam legit, & legit cum iudicio, facile animadvertit eum periti non inulad, sententias acutas, verba aptissima. Super hæc, affectus pro aulæo tragico ingeniosè expressos, ab homine scilicet eius ætatis, cuius tu, cum eâ scriberes. Discessit illa à me, & quidem ignoratis. nec ferrem desiderium, ni alios mihi versus succenturias, qui apud me, quo ad aliter licebit, eius pœmatis vicem arunt. Scio premere te alia, quæ alterius generis, alterius Genij, velim proferres, cum patriæ iulustrandæ, tum iuandæ reip. Si qua bellicis hisce turbis interciderunt, noua te succudere posse, id quoque scio. Rectè feceris, si exspectationi Heusdanorû satisfeceris, laudem tuam simul cum nomine dulcissimi natalis soli nostri propagaris. Vale, & pauca hæc in Apuleio mihi considera.

STATVS homini quare eret. *Etus. Quæqua versus. Forare, fori sociorum.*

Cætera bonus, Threces temulenti. Ter anteferre Mali, & noxi. Euigilare. B pro V. & cõtra. Casiodorus in Variis bene correctus.

Reuenire, Apuleius extra ordinẽ

aliquam multis locis emendatus.

Formula, quid malum: quid bonũ.

Omne publicum, commune Sicilia.

Sõniorũ euentus cõtrary, in somnijs nuptiæ & mors sese representat.

Lancinare verbũ semel Apuleio, bis Sallustio restitutum.

Melita edulia. V, pro B, V, ciss

bladiētis, mi Heriliss, mea mater. Etus.

Apuleij loca extra ordinem emaculata. Petronius corre-
vos. Formula deprecandi, per te: per

fol. 288. *Sumpto remedio de iumentum quadrupedis incuruo gradu, rursus reiectus in hominem resurgetem.*

Malim legeretur, rursus reiectus in ho. resurgetem. vel sic, rursus reiectus. Ovidius I. Metamorph.

*Os homini sublime dedit, cœlimque tueri
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Cur autem soli homini Deus statum sublimem tribuerit, & erectum: cæteris animalibus depressum, corpore toto in humum proiecto; eleganter, & acutè disputat Lactantius Firmianus lib. De opificio Dei. cap. v III.

fol. 300. *Mons horridus, sylvestribusque frondibus umbrosus, & conualles, lacunose, & quanquam versus reposita.*

Probè restituisse me. & quæqua versus. Parisiensis, & Beroaldina editio post ostenderunt.

fol. 306. *Hi simili lauacro refoti, inter foros sociorum sese reponunt.*

Restituere conati, inter choros sociorum. sed probum est, quod editur. dictum de latronibus, qui focis iam accumbentibus superuenerunt, qui pariter calida perfusi, & peruncti oleo, letulibus sese iniecerunt, inferueruntque iis locis (foros vocat) ubi focij rariis, nec satis aptè & continuatè accubissent Aforis illis deducta forare, fores, foras: adeundus Festus, & Nonius Marcellus.

fol. eod. *Clamore ludunt, strepitu cantillant, conuiciis iocantur, ac iam cætera semiferis Lapithis, Thebanis, centaurisque similia.*

Nisi me opinio fallit, scripserit ipse auctor, similes. Græcum loquendi morem agnosceis scio, Romanis quoque non neglectum. cætera similis huic. cætera bonus. Virgilius.

Consertum tegmen spinis, at cætera Graius.

Apuleius libro decimo: Possumus quidè omnia cætera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere. Iterum primo Floridorū: Cùm in artificio patris foret tibicinus; Phryx cætera, & barbarus. Redeo ad præcedentia, quòd enim Thebanos semifero, & truci hominum

minum generi adnumerare, ipsis nolentibus arbitror factam. quare restituendum suspicor, *Threcibus, centaurisque*. Threces enim à temulentia, & insolentibus moribus inter conuiuendum male semper audisse testis mihi, præter Herodotum, & cæteros historographos, Horatius libro primo, Ode xx vii.

fol. eod. *Cuius salutem merito sarcinis istis, quas adue-
xistis omnibus terra antetulerim.*

Ad oram libri adhibuere, certè antetulerim. quid si genuinum credam, *ter antetulerim*. quomodo & pro formula antiqua erat,
—————*ter, quaterque beatum.*

fol. 318. *Prius maluit rerum singula per latiore[m] fenestram forinsecus nobis stilis rapienda dispergere.*

Si coniecturam sequamur, clarior videatur sententia: *nobis singulis rapienda dispergere*. si quid video, mutauit sententia ex compendiosa scriptura quæ fuit *siglis*. nam qui aniculæ ædes expilabat, sociis in area stantibus sua singulis onera absportanda proiecit.

fol. 321. *Gladiatores isti, famosa manus; venatores illi, probata pernicitatis, alibi noxy perditâ securitate suis epulis bestiarum saginas instruentes.*

Pro *alibi noxy*, legendum autumo, *mali & noxy*. Minutius Felix in dialogo suo (cui titulum fecit Octauius, monente id duobus locis Lactantio) de sacrificiis, & ludis Rom. agens, addit: *hodièque ab ipsis Latiaris Iuppiter homicidio colitur; & quod Saturni fatio dignum est, mali, & noxy hominis sanguine saginatur*. Adhibendus etiam Lactantius lib. i. cap. xxi.

fol. 325. *Tunc vulgus ignobile, quos inculta pauperes sine delectu ciborum, tenuato ventri cogit sordentia supplementa, & dapes grauitas conquerere.*

Plebem Romæ secretam fuisse ab aliis, quòd publico aleretur, notum. cæterùm prius annonam post collegio pistorum instituto panem accepisse, eumque ab eminentiori loco, & gradibus, ubi distribueretur, gradilem vocatum, variis Imperatorum constitutionibus, tam Iustiniani, quàm Theodosiani Codicis docemur. quæ causa fuit, cur aliquando mutandū hoc loco putarim, *sordentia supplementa, & dapes gradiles*. ubi verò Parisien. codicem inspexi, non potuit non placere illius lectura, *& dapes grauitas*.

fol. 337. *Nam & facies vrsa mediis adibus discurrētis, ad proterendos, si qui forte vigilassent, videbatur oportuna.*

Geminatione litterarum, idque locis geminis iutanda sententia, ad perterrandos, si qui forte euigilassent. de utroque mihi iam persuasum est. maxime autem de posteriori, quod sciam Ciceronē, Quintilianum id verbi ea notione usurpasse. Est etiam apud Arnobium lib. II. aduersus gentes: *quibus causis, inquit, mergamur in somnos, quibus euigilemus.* Itidem Apuleius lib. VIII. *somnolentis tenebris relictis, ad aliam euigila caliginem.*

fol. 340. *Quidam seruilus strepitus scilicet diuinitus inquietus, proserpit leniter.*

Mea auctoritas valeret, restituerem, *strepitus scilicet diuinito inquietus.*

fol. 345. *Sic etiam Thrasilion nobis perimitur, sed à gloria non periuuit.*

Scriptum id fuit *απαίσιος*, pro *peribit*. Plautinam sententiā huic in animum fuisse verosimile est, ex Captiuis:

Qui per virtutem peritas, non interis.

Opinionem nostram non queo commodius, quàm ipsius Apuleij germano loco stabilire. qui eodem hoc libro: *sed illam vitiumque virtus sua peremit, inter inuly' os reges, ac duces praeliorum tanti viri memoria celebrabitur.* Dabo locum in quo è contratio B pro V immigrasse censeo. Cassiodorus lib. VI. Variarum, in formula præfecti annonæ: *Per officinas piscorum, cibosque discurreis, & munditiā panis exigis. nec vile iudicas unde te possit Roma laudare.* an ferendum sit, discurreis per cibos! mihi cerè is cibus non sapit. puro in antiquis fuisse, *Bicosque discurreis, pro vicisque* id an ad palatum sit eruditorum, audiam.

fol. 350. *Nec mora, cum latrones ultro anxij, atque solliciti remeant.*

Ora libri adscriptum habet, *remaneant. noli dubitare, quin habitari in autographis, reueniant.* Itidem emendandum apud eundem pluries, imprimis lib. VI. *Ecce confecto nescio quo graui prælio latrones eueniunt onusti. lege reueniunt.* Iterum initio libri septimi: *quidam de numero latronum peruenit. lego, reuenit.* Apuleius libro septimo, ubi id vocabulum integrum est. *Gaudentes (ait) ciuitatem reuenimus.* Iterum lib. IX. *Larem reueni meum.* Solinum,

Ciceronem, Plautum sæpenumero vsos, non est precium operæ demonstrare. Corrigamus potius quod mox subditur: *Dicere eam seniore iam vultu inebat, quod malum fieret.* Formula Comica, & irascentis erit, si sic emendes: *quid malum fieret.* Contraria extat apud eundem hunc libro decimo: *Sciscitatus quid bonum rideret familia.*

fol. 356. *Speciosus adolescens inter suos principalis, quem filium publicum omnis sibi ciuitas cooptauit.*

Nescio an verius sit, quem filium publicum omne sibi cooptauit: alia apud eundem ad eam formam dicta videntur. libro quinto: *profundum calamitatis.* lib. xi. *lubricum videntis ætatula.* Itidem apud M. Tullium: *commune Sicilia.* quod nos redderemus, communitatē, rempublicam Siciliae. Ad coniecturam nostram facit Latinus Patricus, qui in panegyri, quam Theodosio dixit, atratos ait infestare publicum.

fol. 357. *Cum irruptionis subita gladiatorum imperus ad belli faciem seuiens nudis & incertis mucronibus coruscans.*

Mutat Beroal. & insertis. malim, & exercis. si modo quid de vulgata lectione recedendum sit.

fol. 363. *Bono animo esto me hercules, nec vanis somniorum figmentis terreare.*

Scribo primùm, *bono animo es.* inde in verbis ancilæ iuramentum illud non puto tolerandum: *scæminæ enim per Herculem non iurabant, neque per Castorem viri, vt docet nos Agellius in noctibus Atticis.* quæ causa est, cur vltius scribam: *bono animo es mi Herilis.* Blandienti vox conuenit. Identidem apud eundem hunc vsurpata libro nono: *De isto quidem mi Herilis tecum ipsa videris.* Simile blandimentum in verbis iuuenulæ, quibus ea vetulam adfatur, eodem libro nono: *Sed nosce valde cupio, & oro mater, ordine mihi singula retexe.*

fol. 364. *Denique flere, & vapulare, & nonnunquam iugulari lucrosum, prosperumque prouentum nuntiant. contra ridere, & mellitis dulciolis*

ventrem saginare, vel in voluptatem veneream convenire, tristitia animi, langori corporis, damnisque ceteris, vel anxiatum iri prædicant.

In explicatione somniorum, ne quid somniarem, pro virili contendi: quid verò mihi euenerit, doctiorum iudicium esto, inter eos tuum, mi Dalanthe. Qui in margine libri addidère, *vel laxatum viri*, vidère quidem vulnus, sed nihil minus, quam cu rauère. Absterrere vult anus puellam à superstitione somniorum, non debere vanis illis figmentis vel terreri, vel moueri. quippe visiones nocturnas contrarios sequi euentus. In qua secta hodiè que non pauci: & inter veteres, qui de somniorum interpretatione scripserunt, Artemidorus auctor Græcus: is libro secundo suo tradidit plorantem, dolentem in somniis, exinde gauisurum, qui autem mortuum se somniat, nuptias contracturum, & contra: eò quòd nuptiæ, & mors inuicem se repræsentent. In eadem opinione Plinium Iuniorem fuisse, eiusdem epistolæ indicant. Eadem mens aniculæ huius, seu Apuleij fuit: ad quam exprimentam, videndum quid faciat mea coniectura. *contra ridere, & mellitis eduljjs ventrem saginare; vel in voluptatem Veneream conuenire; tristitia animi, langore corporis, damnisque ceteris lancinatum iri prædicant.* Arnobius primo aduersus gentes: *Isis furua mærens perditum filium, & membratim coniugem lancinatum.* Idem libro secundo: *ipsam (inquit) cre duliat. in faciejs iocularibus lancinare.* Iterum lib. eodem: *Cruciatibus, & beluis, quibus corpora lancinatis.* Vñ quoque Lancinandi vocabulo, Catullus, & Sallustius Catilinaria coniuratione. *bona (inquit hic) patria distipauerat. merito repositum ab Iano Palmerio nostro: bona pa. lancinauerat. id ex fide manuscripti codicis.* Reddamus suadeo idem verbù Sallustio, primo libro Historiarum in oratione L. Philippi: *remp. largitionibus lacerari videbam. lego, lancinari.* Ibidem paulò inferius, *angitur enim, & laceratur animi cupidine. lego, lancinatur.* Nunc quod, *mellitis eduljjs*, in Apuleio reposuerim, pro, *mellitis dulceolis*, causam vide: Apuleius lib. x. inquit: *panes, & mellita edulia concinnabat.*

fol. 372. *Sed non adeò gaudens, quæcumque est, meos honores vsurpauit. iam faxo, huius etiam ipsius illicitæ formositatis pœniteat.*

Videbit quilibet, eorum certè qui aliquid vident rectum esse, *vsurpa-*

*ſurpabit. vitium ex commutatione literarum V, & B. mendum
ſimile in tribus codicibus editis obſeruabam libro IX. ſed forſitan
lector ſcrupuloſus reprehendens narratum meum ſic arguentaueris. ſcrā
bo, argumentaberis. Emaculandum quoque libro primo Florido-
rum: Alexandri præclara facinora fatigaberis admirando. perperam
enim iſtic editur, fatigaueris.*

fol. 373. *Per ego te, inquit, materna caritatis fœdera
[deprecor,] per tuæ ſagittæ dulcia vulnera, per
flammæ iſtius mellitas vredines.*

Magnum periculum eſt, ne in deprecatione hac Venerea, for-
mula debita, & conſueta ſeruata non ſit. nam vel ſolo aurium
ſenſu initium eius nimis aſperum deprehenditur, quia præcipi-
tatum. Placeret mihi, *Per te inquit, per materna caritatis fœdera.* quia
placuiſſe video eam formam præſciis; Liiuo imprimis: *Per vos, in-
quit, fidemque veſtram.* Saluſtius Iugurthino bello: *Oro vos per libe-
ros, atque parentes veſtros.* ſed ibidem, non iniuria, veteres mem-
branas ſecutus eruditiffimus Ioannes Riuius emendauit abiecto
verbo: *Per vos, per liberos, atque parentes veſtros.* Vide anne & ſupra
libro II. his verbis Apuleij medelam adhibuerim: *Miferere, ai ſa-
cerdos, miſerere per cœleſtia ſydera, per inferna numina, per naturalia
elementa per [ſe] nocturna ſilentia.* particulam incluſam ad ſupe-
riora retraho. & mutō: *miſerere per te, per cœleſtia ſydera.* Iterum a-
pud Apuleium in ipſo limine libri ſexti, vbi Psyche Cererem
Deam adprecatur: *Rogo te frugiferam, tuam dexteram iſtam deprecor,
per lætificas meſſium cærimonias, per tacita ſacra ciſtarum.* Marginalem
ſcripturam Beroaldus arripuit, *Per ego te frugiferam.* mihi pro ge-
nuino erit, quam diu ero: *Per te, per frugiferam tuam dexteram.* Pe-
tronio eadem formula reddenda: *Per formam tuam te rogo, ne faſti-
dias hominem, emendo, per te, per formam tuam, ne faſtidias hominem.*
Uſum hac formula Virgilium, & quidem perlibenter, testimo-
nio ſit vel vnus lib. X. *Æneid.* in quo eam reperias bis, tēve. Ar-
nobium quoque uſum animaduerti libro quarto aduerſus Gen-
tes: *Per humani generis iura atque ipſius mortalitatis conſortia, cum
auditis & legitis, &c.*

GODESCALCI STEVVE
CHI IN L. APVLEII

LIB. V. DE ASINO

QVAESTIONES.

God. Ste. Hieronymo Berchemio I.C.

S. D. P.



VANTVM indolueris, adlato nuntio de Iani Mel-
leri Palmerij obitu, facile per se capiant, quibus no-
tus Berchemius; quibus ipse Palmerius notus. Virum
amifflisse nos multiuga scientia imbutum, & exi-
miis antiquæ disciplinæ notis tinctum vel ipsamet invidia infi-
cias ire non aufit. virum, inquam, in quem verè illud Ennij;

———— mores veteres, nonòsque tenentur

*Multorum veterum leges, diuùmque hominùmque
Prudentem, qui multa loquive, tacerève posset.*

Addo, ex animi mei sententia, indidem:

*Qui res audacter magnas parvâsque, iocùmque
Eloqueret, quæ tincta malis, & quæ bona dictu,
Euomeret si quid vellet, tutòque locaret.*

Acutum, facundum fuisse, non est quòd prædicem. talem e-
nim ipse, se non modò Germaniæ suæ; verùm & Galliæ, Britan-
niæ coram; Italis, cæterisque nostri orbis populis scripto proba-
uit. Vale amicissime Berchemi, & permitte in his Apuleij tuo
me iudicio vti. Tullo Leucorum.

AGERE se intra limen. Gradus
pensilis.

Penitus, penita, penitum. offa peni-
ta.

Deditiorum libertorum conditio
pessima.

Quidni pumilus, pumilio glabrus.
Epitome Lini lib. LII. correcta.

B.P.R. commutata ob similitudi-
nem literæ.

Libri antiquitus maioribus tyris
Romanis describebantur.

Varronis locus Bimargo suspectus,
forte sanatus.

Vultu fraudem tegere. vultu simu-
lationem suscipere.

*Præminari. Hilarare. Latere. Ad-
dulari. Placere.* RE, & ex locum commutatus.
Biles meræ.

fol. 392. *Inuitata Psyche talium locorum oblatione
propius accessit, & paulo fidentior mira limen se-
se facit.*

In Parisiensi editione correxisse animaduerti, *locorum oblecta-
tione.* ubi etiam bene immutarunt alterum istud, *intra limen.* sed
hactenus tantum. etenim magnum pignus dederim, reliqua
non ab Apuleio, sed ab aliquo librario esse. Video quid illi fu-
cum fecerit: in m. l. reperit *se se acit*, hinc ille more suo effecit *fa-
cit.* cæterum vera lectio in altero latet, tantum scriptura mu-
tetur, *agit.* agere sese intra limen, imitatio Virgiliiana est:
idemque valet, quod pedetentim, & quasi suspensio gradu (pen-
silem alibi hic noster vocat) ire. proprium eorum qui metuant.
Subdubito etiam hunc Apuleij locum libri decimi De asino
non integrum esse: *hæc ut primum ante iudicis conspectum fa-
cta est.*

fol. 400. *Ut illarum prorsus cælestium diuitiarum co-
piis affluentibus satiatae, iam præcordiis penitus
nutrurent inuidiam.*

Coniectura hæc nostra non difficulter, ut spero, se tibi proba-
bit, iam præcordiis penitus nutrurent inuidiam. Iterum ea vox red-
denda Apuleio prima apologia sua: *De summis montibus in mare
transferatis, & penitus piscium ventribus insuatis, ac legendum, peni-
tis piscium ventribus insuatis.* sat notum est antiquos, & quidem
Latinissimos, declinasse penitus, penita, penitum. Quin & ipse
Apuleius ad eum modum summi fontis scaturiginem appel-
lat penitam, sexto de asino. De offa penita meminere Festus, &
Arnobius. Subditur eadem pagina de Veneris filio Cupidine,
quem ut adolescentem, modò florenti lanugine barbam instrue-
tem sua Psyche describit, his verbis: *Sed è re nata confingit esse in-
uenem quendam, & speciosum commodum. Lanostim barbitio genas in-
umbrantem.* emendandum arbitror, *iuenem quendam speciosum, &
commodum lanatim barbitio genas umbrantem.* ut lanatim, sic ille ef-
fictim, discretim, angulatim, aceruatim, alia sexcenta vsus. &
cum eo optimus quitque.

fol. 402. *Et nos quidem, quæ natu maiores sumus, mari-
tis aduenis ancille dedita, extorres & lare, & ip-
sa patria degamus.*

Milesiarum scriptorem iuris Romani, & Latini peritum fuisse,

testantur non solum voces, sed & formulæ antiquorum prudentium, quibus ille & multis utitur, & ad rem perquam accommodatè. quare suspicatus sum eundem & hoc loco inibi fuisse, & scripsisse, *ancilla addictæ*. vel quod propius vero, *ancilla dedititia*. Seruorum manumissorum triplex olim conditio, ut meministi. nam aut ciues Romani fiebant, aut Latini, aut Dedititij. horum pessimam conditionem fuisse qui nescit, videat Institutiones Vlpiani, Caij, Theoph. & Liuium lib. viii. Andream Alciatum lib. i. Pater. cap. xvi. Angeli Politiani Miscellanea, & alios.

fol. eod. *Patre meo seniore[m] maritum sortita sum, de in cucurbita caluiorem, & quouis puero pumilio- rem. cum cuncta domum seris, & cathenis obdita custodientem.*

Fortè an dixerit auctor: *quid ni? cuncta domi seris & cathenis obdita custodientem?* vel hoc pacto: *cunctam domum seris, & ca. obditam custodientem.* Nunc qui pusillio[n]em reponere conantur, pro pumilio[n]em, sciant se id facere inuito Fulgentio, qui in libello suo de prisco sermone, adductis præcedentibus Apuleii verbis, pumillum interpretatur mollem: & pro caluiorem, legit glabriorem. quo modo & Arnobio id verbi vsitatum lib. iii. aduersus gentes: *Hos capillorum intortionibus crispulos; caluitis alios & glabritatibus rasos.* Item lib. vi Arnob. *Vterque à vobis glaber, atque ore compingitur leui.* quapropter auctoritate Fulgentij primum illud retinendum: alterum quoque in possessionem remittendum censeo. De pumilionibus sæpiusculè meminit Plinius. Pupulum à pupus, quasi paruum puerum Catullus, & similiter Apuleius denominauère. quod ad *pumulum*, corrigo Epitomen Liuij lib. l. iii. *qui Alexandri filio bimulo admodum regnum asserbat.* restituoque *pumilo admodum.* neque sequor eos, qui reposuère, *puero admodum.* causa deprauandi fuit similitudo literarum B. & P. nam & has, ut & R. non semel ex adfinitate commutatas, testes mihi Quintilianus, & Plinius, quorum verba, & monita de maiusculis, & Romanis literis accipienda, quo diis antiqui in libris describendis vsi, frustra te monerem. Potius Varronianum fragmentum ex Bimargo mecum considera. *nam humanis omnia sunt paria: quippe maior plus urget: pisces ut sæpè minutos magnus comet: ut aues enecat accipiter:* Vide diuinationem, siue hallucinationem meam: *num humanis omnia sunt paria? quippe maior pumilos urget.*

fol. 414. *Sorores nomine mentientes, thesaurumq; penitus abdito*

abditæ fraudis vultu lato restantes.

Tam certum bene me emaculare, quàm meridie lucere: *thesaurumque pe. ab fr. vultu lato restantes.* quomodo ipsemet locutus alibi Apuleius, *vultu tamen* (inquit) *gaudium tegit.* sic & lib. x. *fidei ait* *supprimens faciem, præterdens imaginem blandiusculè respondit.* Porro & ipso rerum usu Indies experimur, & à Cic. libro primo epist. ix. docemur, fronte ac vultu simulationem facillè sustineri. Virg. III. Aeneid.

Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat.

Iterum dicto libro:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Atqui hypocrisim istam scitissimè à Sallustio depictam non negabis. in Coniurat. *aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere.* & paulò post: *magisque vultum, quàm ingenium bonum habere.*

fol. 419. *Maritum incerti status & prorsus lucifugam to- lero, bestiamque aliquam rectè dicentibus vobis, marito consentio. meque magnopere semper à suis terret aspectibus. malumque grande dei vultus curiositate præmiatur.*

Lernæ bestia capita aliquot concidisse me intelligens, rem ipsam si considerabis: hoc est, Psychem coniugale præceptum hic temerasse, quamquam ille serio monuerat, graviæque terminatus erat, si unquam de forma illius vel inuestigare, vel prodere quicquam perniciosissimis lupulis, sororibus suis ipsa auderet; tum fore, ut infans quem vtero gestabat, diuinus alioquin futurus, mortalis fieret: & vultibus mariti exploratis, eos post illa amplius non visuram. rescribo autem præcedentia in hunc modum: *maritum incerti status & p. l. tolero, bestiamque a. dicentibus vobis maritum consentio. me qui magnopere s. à suis terret aspectibus. malumque grande de vultus curiositate præmiatur.*

fol. 420. *Simplicis puella pauentes cogitationes inuadunt.*

Tractata primum Psyche à sororibus astu: rectè enim & quasi per cuniculos omnia primum expiscatæ, postea districtis fraudium gladiis apertè illam inuaserunt. ea propter scribo: *patentes cogitationes inuadunt.*

fol. 421. *Sed cum primum illius morte salutem tibi feceris, anxia præstolabimur, cunctisque istis sociis tecum relatis, votiuis nuptiis hominè te iungemus homini.*

Legere conor, *cunctisque istis opibus*. sed hoc scio magis facturum ad palatum: *cunctisque istis ocuis tecum relatis*. Adhibendus Festus, in *Ocius*.

fol. eod. *Ipsa protinus tanti mali [consilium] sibi metuentes.*

Malis consultoribus malum id consilium, futurum haud dubiè pessimum. verùm tamen quod in Paris. editione reperim *confinium*, inducor, ut utrumque ab adulterina manu esse deputem.

fol. 415. *Cupidinem formosæ cubantem, cuius aspectu lucernæ quoque lumen hilaratum increbuit.*

Hilarare, frequentatum olim Rom. scriptoribus fuisse non solum hoc loco testatus Apuleius, & alibi Cicero. quò & Lilius Ægytho *letare*, actiue protulit.

Tamne oculos specie lætasti optabili.

fol. 429. *Ego quidem simplicissima Psyche parentis meæ Veneris præceptorum immemor, quæ te miseræ, extremæque hominis deiectam cupidinem, infimo matrimonio addici iusserat, ipse potius amator aduolauit tibi.*

Mihi in mentem venit suspicari, ab auctore ipso dictum fuisse *aduolauit tibi*, quomodo poetam Tragicum locutum, fragmentum testatur apud Cic. itidem in versibus Ennij erat *Eloqueret, pro eloqueretur*. Similiter apud Nonium dicitur in membranis, *Vlcisco, pro vlscor*, in verbo, *exanclari*, & Apul. II. Floridorum: *Hæsternum illi imbrem lachrymas auspicasse*. Consulendus Nonius cap. De contrariis generibus verborum. Iam paulò ante iisdem illis verbis mendosum est, *deiectam cupidinem*, non displiceret, *dignam cupidine*. nam solere antiquos exarare *deicnam*, pro *dignam*, alibi docui.

fol. 435. *Sed cum primum utraq; placuerat, conscio lumine vultus adspexi.*

Geminata syllaba scribo, sed cum primum, ut utraq; placuerat. itidem ut eadem hac pagina, *luxuriosumque blandis obsequijs promerere*. malè enim vulgatur, *promere*.

fol. eod. *Casu scilicet pessimo lucerna feruens oleum rebuliuit in eius humerum: quo dolore somno statim recussus.*

Quid si legatur *ebulluit*. & post, *somno statim excussus*. præpositiones *RE* & *EX*. ita commutatas librariorum negligentia, alibi ostendemus.

fol. eod. *Fallens maritum, quasi de morte parentum aliquid comperisset, statim nauem adscendit, & ad illum scopulum pergit.*

Vide, sitne pro adulterino habendum *pergit*.

fol. 437. *Sed enormis eluuius, & squalentium federum insuaue fastidium.*

Scribendum, *facorum*, aut si libet, *facorum*, voce quasi composita ex *foedo* & *odore*.

fol. 439. *Vt primum quidem tua parentis, imò domine præcepta calcas, nec sordidis amoribus inimicam meam cruciases: verum etiam hoc ætatis puer, tuis licentiosis & immaturis iunges amplexibus, ut ego mirum scilicet tolerarem inimicam?*

Veneris hæc verba filium increpantis, ea verò, quòd *Psyche* (de qua præcedentia dicuntur) ut formæ succubam, & honorum suorum æmulam à filio exerceri voluerit, arbitror superioribus Apuleij verbis alterubi legendum, *mimicam*. Interea tamen non prætermittendum quod pag. proxima obseruabam: *Verbosa, & satis curiosa auis in auribus Veneris filium lacerans, existimationem ganniebat*. Pollicit enim sententia reponamus: *in auribus Veneris filij inlacerans existimationem, ganniebat*.

fol. 440. *Sic effata, foras sese proripit infesta, & stomachata biles venerias.*

Dicta hæc de ipsa Cupidinis matre Venere. & eam causam sufficere existimo, quapropter emendem: *stomachatibiles meras*. Quod autem extremo hoc libro scribitur: *Sed Venus indignata ridiculè tractari suas iniurias, peruersis illis, altè rursus concito gradu pelago viam capescit, malim legeretur, reuersis illis.*

GODESCALCI STEVVE-

CHI IN L. APVLEII

LIB. VI. DE ASINO

QVAESTIONES;

God. Ste. Iacobo Bornonio I.C.

S. P. D.



LITTERAS meas, doctissime Bornoni, simul exemplar Vegetij grato animo accepisse arbitror, acceptis modò, hoc est, eo tempore cum mitterem domi fueris, neque ablegatus, nec abductus aliquò ab illustrissimo Lotharingæ Principe. id enim mihi in mentem venit suspicari, eò quòd nihil in hunc diem vsque rescripseris. quod quidem præter expectationem meam eueniri litteræ ipsæ loquentur: præter humanitatem tuam esse non alius testis magis idoneus, quàm egomet mihi Dominum Hennefonium V. C. etsi inuisum, de solis aliorum sermonibus antea me plurimi fecisse, non te solum conscium laudare possim: ceterum lectis lepidissimis versibus inquam iis, quibus vos inter vos colloqui, absentes iocari, atque ad eò gaudere, dolere animaduerti; factum est, ut vtrunque non amare tantùm, verùm etiam ceteroquin admirari, in oculis ferre coeperim. Memini probare te consilium quod iam tenebam, de inuisendo illo tuo Pyrithoo; verum tamen ablicere coegerunt negocia quædam mea priuata, in primis verò status regionis mutatus. De academia vestra ita sentio, si rumor de bello Gallix perseveret, pleròsque hinc reuocatos iri, neque ad eò magnitudine, ut opinor, periculi, quàm periculi meru. Id si fiat, vereor ut commodum mihi sit, ad vos denuò excurrere, ac postremum dicere Vale. itaque visum fuit has quæstiunculas in præsens mittere, quas pro eximia eruditione, & humanitate tua singulari ita & legas, & perpolias velim, tanquam futuras mei etsi leue, aliquale tamen monumentum, & pignus amoris. Salutem D. Claudio Bardino, & D. Michaeli Boueto tibi collegis, mihi amicis. Vale, Pontimuffo, Kal. Maij, 8. D. xxv.

In locum filie, fratris diligere.
 Maximum exclamare, Propertij
 versus constitutus.

Et, item, que, encliticon, valent. id
 est. Censorinus de die natali e-
 men. Suprema. Nec mora, cum.

Satyriscus, Paniscus. Apuleius ex
 tra ordinem emasulatus.

Excitus vocis. Obliquare corpus, cer-
 nicem.

S. & X. promiscuè olim librariis
 usurpata.

Contestus, pro, contextus. Apuleij
 duo loca alijs libris correcta.

Arcessere, pro, accessere. Petronio
 restituta illa vox. Itē Ciceroni.

fol. 455. *Sis meis extremis casibus luno sospita: meque
 in tantis exanclatis laboribus defessam imminen-
 tis periculi metu libera.*

In editione Parisiens. excudēte defessam, idque melius (vt mea
 fert opinio) quadrabit, si legerimus, meque iam tantis exanclatis la-
 boribus defessam. quomodo ego eum locum antea de coniectura
 conatus eram constituere.

fol. 458. *Sed contra voluntatem Veneris, nurus mea,
 quam filie semper dilexi loco, prestare me pudor
 non sinit.*

Omnino restituendum, nurus mea. neque seiungenda ea verba
 à præcedentibus. postea gemino: quam in filia semper dilexi loco. Te
 rentius Andria: Si te in germani fratris dilexi loco. nisi fortè verius
 sit, vtrōbique auctores ipsos dixisse in locom.

fol. 469. *Quæ res nunc vel maximè sustulit Pſyches
 omnem contationem.*

Consonans magis, magisque significans visum, que res uni-
 ea vel.

fol. 471. *Occurrit una de famulatione Veneris nomine
 Consuetudo statimque quantum maximè potuit,
 exclamat.*

Quæro ex te: sitne elegantius, & propius ad consuetudinem
 Apuleij: quantum maximè potuit. motum me alio ipsius exem-
 plo videbis, quod libro secundo Floridorum: Dein cætu facto, ma-
 ximum exclamat. Simile & illud hoc eodem libro De asino. conor-
 tis supercilij subridens amarum. Vide, sitne Propertij versus, libro
 secundo elegia vltima:

Me inuet æternis positum languere corollis.

ſitne, inquam, ille versus hoc modo rescribendus:

Me inuet æternum positis languere corollis.

fol. 474. *His editis innolat in eam, vestemque diloricat,
capilloque discisso, & capite conquassato, graui-
ter adfligit.*

Cur legendum crederem, his edictis, causam dixi in Com-
mentario ad Fl. Vegetium. cetera sic rectè videntur habitura,
si rescribas, *capilloque discisso*. quod verò sequitur: *& capite con-
quassato*. prioris interpretationem continet. Obseruavi non se-
mel coniunctiuam particulam *Et*, idem valere quod, *id est*. in
Pandectis obuia exempla, itidem apud Virgil. Itidem acci-
piunt illud Diui Hieronymi: *de scammate & loco certaminis egre-
diens*. Plautus: *Annos natus sexaginta, & senex*. Consulendus Lau-
rentius Valla, lib. II. Itidem coniunctionem encliticam, q; inter-
pretabar apud Virgil. III. *Æneid.*

Oceani sinem iuxta, solemque cadentem.

Iterum libro octauo *Æneid.*

Astulit & nobis aliquo indo optantibus atas.

Auxilium, aduentumque Dei.

Extat apud Censorinum de die Natali cap. XIX. pars plebis ci-
ti de prætoris urbano. ea vulgo sic vulgatur: *duos lictores apud se
habeto. Isque supremum ad solis occasum ius inter ciues dicit.* ea in ve-
rustissimis membranis Colon. hoc modò perscripta: *duo lictores
apud se habeto. Isque supremam ad solem occasum iusque inter c. d.* Vnde
faciebam: *Vsque supremam, solemque occasum, ius inter ciues dicit.* vel
si sic magis placet: *Isque ad supremam, solemque occasum.* præmisi
quippe Censorinus: *plurimi supremam post occasum s. l. is existimant.*

fol. 479. *Tum formicula illa paruula, atque ruricola
certatim difficultatis tante, laborisque miserta.*

Scriben. *ruricola, certa iam difficultas tante.*

fol. 490. *Nam pruni louis regalis auis illa repente pro-
pansis utrimque pinnis affuit rapax aquila.*

Lego: nam imprimis. & paullo inferius: *Speras, e te sanctissimi fontis
vel vnam nullam posse ferari, vel omnino contingere?* in vulgatis perpe-
ram seruarunt, *Sperasque.* nisi putes scribendum traiectis vocibus,
que sperasque te, absque interiectionis nota.

fol. 504. *Longè vegetior ab inferis recurrit. & repetita,
atque adorata candida ista luce, quanquam festi-
nans obsequium terminaret, mente capitur teme-
raria curiositate.*

Cōiecturam meam experiar an probaturus sis: *quanquam festi-
nans*

mans obsequium terminare, tamen mentem capitur temeraria curiositate, equidem mihi verosimile synecdochicis Apuleium id exulisse.

fol. eod. *Sed infernus somnus, ac verè stygius, qui starrim cooperculo reuelatus inuadit eam crassi soporis nebula.*

Mihi pro genuino est, *cooperculo reuelatus*. videlicet somnus, qui pyxide conclusa à Psyche ab inferis vsque petitus gerebatur.

fol. 513. *Nec mora tum coena nuptialis affluens exhibetur.*

Lege meo periculo: *nec mora cum*. quomodo plus centies Apuleium his libris locutum, pariter mecum facilè meministi.

fol. 518. *Vt Musæ quidem chorum canerent, tibias inflaret Satyrus, & Paniscus.*

Diminutione vocum scriptorem istum ludere nouum non est, neque ab ipsius stylo, ad comicam leuitatem sæpè accommodato, alienum. hinc est, cur & Satyriscum diminuto vocabulo dixisse arbitrer à Satyro: proinde vt Paniscum appellauit, tanquam minutulum Panem. Infra octauo libro De asino: *de cibo inquit vel poculo cogitatis. fallor? an verum est, poculo.*

fol. 529. *Cum nullus adforet, qui suppetias ei ferre posset: nisi sola illa virgo captiua, que vocis exitu procurrens.*

Leuis correctio, sed quam veram præstare audeo *vocis exitu*. in exciendi vocabulo pluries deprauatum hunc auctorem, antehac alibi ostendi.

fol. 530. *Sed & scalpendi dorso mei simulatione, nonnunquam obligata ceruice pedes de coros puellæ basiabam.*

Qui ab asino fugitiuo, puellam fugitiuam dorso gestante hæc dicta sciens, nullo negotio perspicies merito à me restitutum, *obliquata ceruice* quâ phrasi hic alibi corpus obliquatum: alibi vngulam asini obliquatam scribit. Quid ni, verbis penè iisdem de eodem hoc asino libro nono extremo hæc dicuntur, dum *obliquata ceruice per quandam fenestrulam*, quidnam sibi vellet tumultus ille prospicere gestio. adeò vt mirum sit superiora illa in hodiernum vsque diem in mundo iacuisse,

fol. 532. *Iam primum iubam istam tuam probe peclinatam meis virginalibus monilibus adornabo. frontem verò crispatam prius decoriter discrimabo, caudaque setas incuria congestas, &c.*

Promissa hæc virginis, quæ a fino, quo vehebatur, maximas gratias, honores summos habituram se recipiebat, si saluâ è manibus latronum domum peruexisset. sed in his nescio quid erroris commissum, propter adfinitatem quandam litterarum x & s. Repertum suspicor in autographis, *setas incuria contestas*. quod valebat *contextas*. atque ignaros eius rei alterum supposuisse. Simile prorsus mendum libro vndecimo, in pompa illa, quæ Ilici deæ ducebatur: *Quintus auream vannum aureis congestam ramulis, & alius ferebat amphoram*. non ambigo, quin & hic olim habitavit illud *contestam*, pro, *contextam*. Restituendam ex interdicto, Vnde vi, eandem scripturam supra libro secundo observabam: *Suscipit ille de lectulo & vno contextu populum sic adorat*. nam quod in excusis hæret, *vno congestu*. non æquè commode accipietur de eo, qui beneficio magicarum artium breui vsura vitæ vsus, pauca ad populum verba fecit. eaque vnica serie, & eodem contextu absoluit. testem dabo ipsius orationunculam hanc videlicet: *Malis nouæ nuptæ peremptus artibus, & addictus*. (lego inductus) noxiò poculo, torum repente adultero mancipauit.

fol. 545. *Ac ne meæ quidem modestia congruit, pati, vos ultra modum delictique seuire terminum. nec feras, nec cruces, nec ignes, nec tormenta, ac ne mortis quidem maturatæ festinas tenebras accessere.*

Emendari possit *accesere*. attamen verius esse non negabis, *arcesere*. de quo adeundi Grammatici. Petronius:

Atque animas arcesere nouas.

legerim, *arcesere nouas*. Cic. lib. x. epist. xxxiii. *Lepidum in Italiam accersistis*, in m. f. Colon. est, *arcesistis*.

GODESCALCI STEV-
VECHII IN L. A. P. VLEII

LIB. VII. DE ASINO

QVAESTIONES.

God. Stevv. Iusto Lipsio V. C.

S. D.

ECVM sentio Clarissime Lipsi, lectionem Apuleij ab-
horrendam non esse, tamen etsi in vestes quidam recla-
ment solidum. Utilem esse, dicere non attinet, reapse
experiantur qui phrasim Plautinam imbibere; qui mores & ritus
veteres autem cognoscere, quos equidem ex fontibus huius mul-
tos, & alibi vix obuios hauriri posse & vestro indicio, & vsu ipso
didicimus. Exemplar Basileense anni M. D. XXXIII. si vidisti, mul-
ta inibi vestigia scriptionis antiquæ animaduertisse mihi dubiū
non est. Illo dum ego vsus, adnotavi interim ad oram (vt solet)
cursim non pauca. quæ vt recognoscere cœpi, occurrere quæ e-
mendando, nonnulla quæ inlustrando scriptori viderentur. Le-
uia fateor, etiam indigna de quibus quæram præsertim ex te. cæ-
terum si quid te noui, dabis hoc amicitiaë nostræ, dabis inquam
ipsi reipublice, & cum ocium erit à rebus seriis, hæc leges, simul
iudicium tuum perscribes. Vale.

*Numero. valet cito. Exere-
re manum.*

*In coram, in coram omnium. Apu-
leij plurima sanata.*

*Sequior sexus. inserere. sequius su-
spicari.*

*Fæminarum conditio in multis de-
terior. Sexus virilis præstan-
tior.*

fol. 551. *Seruum nil quicquam rerum talium esse confes-
sum missos tamen in patriam Lucij illius multos
numero, qui rerum pœnas daturum sceleris in-*

*Quiritare. iubilare. Nonius emer-
datus.*

*Fama hilarior. emaculata l. prosi-
dendum. C. de postulando.*

*Lens. lenticula. Concipilare. Pro-
bè constringere.*

*Concinnare querelas. cōcinnatores
causarum.*

Ain tu? Gratiola. Diacula una.

quirerent.

Quid si scribamus, *missos tamen in patriam Lucij illius nuntios numero.* *Numero*, significare cito, ex Nonio Marcello, & Festo liquet. Afranius Suspecta :

Per falsum, & abs te creditum numero nimis.

Attius Oenoiæo :

Tuam peti gnatum numero te expurgat timor.

Plautus Amphi.

Numero mihi in mentem fuit.

Varro *αὐτὸ ἐξαρῶν*, ac discedens, *numero ait venire adolescentem.*

fol. 562. *Nec manum validam eroganda stirpi porrigeret, sed hauriendo potius exerceret auro.*

Suspicio germanum Apuleij esse exereret. quo modo etiam apud Sex. Iul. Frontinum nuper emendavi. deinde quod subditur: *alios ad supplendum numerum vestigare statuunt*, geminatione, id est retractione vnius syllabæ, quæ in extremo verbi præcederis delituit, per sanandum puto, *numerum inuestigare statuunt.*

fol. 566. *Nam procuratorem principis ducentaria perfunctum, dehinc fortuna tristiore decussum, prætereuntem coram fueram aggressus.*

In editione Parisiensi reperiëbam, *prætereunte me coram.* sed hoc adæque ineptum. ex quo tamen veram scripturam eruisse me non negabis: *prætereuntem in coram fueram aggressus.* Apuleius hoc eodem libro: *Ibidem in coram omnium, gestiebat inscendere.* sed quæstio, sublato archaismo supposuere, *in corona omnium*, non optime de hoc scriptore ea parte promeriti. Infrà apud eundem hunc libro nono extremo: *Vnus è commilitonibus casu fortuito collinatus oculis ad umbram meam, cunctos testatur in coram.* Iterum dicto libro nono: *atque in coram omnium aureum de promeret cantharum.* Idem sæpius libris reliquis. Emendandum pariter illud Apuleij prædicto libro nono: *non quidem in coram noxæ prehensus.* perperam enim vulgo circumfertur, *non quidem coram.* nam phrasin istam plus decem locis Apuleio reddendam diligens lector facile obseruabit.

fol. 570. *Contemptis urbicæ luxuriæ deliciis, fugientis comes, & infortunij socia.*

Scribendum erat, *infortunij socia.*

fol. 571. *Nisi quod pauore cunctorum, quæ sibi quisque metuentes delirescebant, effectum est, ut impune disce-*

discederemus.

Lege, volente sententia, quum sibi quisque metuentes delitescebant.
fol. 576. *Et insequiore in sexum incertus atque abscondi-
tus, a fello spicas hordeaceas gerenti residens, per
medias acies infesti militis transibit.*

Nescio quid viderit, qui non viderit hoc emaculati debere, &
insequiorem sexum insertus, atque absconditus. Hemum hunc latrone
Threcium, veste indutum muliebri, asino insidentem, indigato-
rum manus euasisse liquido constat. De cætero elegans, & trita il-
la metaphora, à seredis arboribus sumpta vel latuit descriptores
librorum: vel multis (vt solet) de ore vnus excipientibus, simili-
tudine soni vox illa ab vno aliquo deprauatè percipia est. Sexu
verò sequiorem muliebrem vocat, comparatione virilis. Pariter
& lib. decimo: *Si sexus sequioris edidisset factus, protinus, quod esset edi-
tum necaretur.* Similis omnino phrasis in illo libri octauo: *Placuit
Thrasillo schema feralium nuptiarum, nec sequius aliquid suspicatus.*
Quod verò ad sexum muliebrem attinet, etiam in multis iuris
nostri articulis, femininam conditionem deteriorem esse quam
masculorum, ab Homero, ab Aristotele I. Politicorum, & à Papi-
niano docemur. l. in multis. ff. de statu hominum. idque in succes-
sionibus obtinere testatur lex Voconia apud Paulum I. C. in libris
sententiarum. Itidem Iustiniani constitutio, quæ est l. penult. C.
de legitimis hæredibus. Quin immò vt diligentissimi inter ve-
teres obseruarant, non modò in hominibus, sed in omnibus, quæ
terra gignit, bestiis, arboribus, herbis, masculinus sexus vtique
præstantior ac fortior habitus, exceptis pantheris, & vrsis.

fol. 582. *Visa ea, vt erat, cathenis onusta: contorta, & vi-
tuperanti nare discessit.*

Tantum quæro ex te, scribendum ne sit, & intuberanti nare.

fol. 583. *Hanc ex animo quidem meo sententiam con-
ducibilem protuli. sed vos nostrorum estis consi-
liorum, rerumque domini.*

Mea opinione concinnius sit, *vostrorum estis consiliorum, rerumque
domini.* pro me facit, quod idem qui hæc loquitur, præmiserit in
eandem sententiam, & non sum quidem tam brutus, vel certe temera-
rius, vt scitum vestram inhibeam. allusum autè ad Plebisciti formu-
lam, quod Tribuno, id est, plebei magistratu rogante, plebs con-
stituebat. itidem suadente quidem Hemo prædonum duce, reliquis
latronibus consiliorum liberam existimationem, rerumque diiudicam.

tionem relictam sequentia huius scriptoris clamitant. Vt si potero fuere antiquis, in suasionibus, istiusmodi formulæ, at hic iam tua est existimatio. quæ extat apud Apul. lib. v. Plautus Perla. scæ. Satin.

— tua merx, tua indicatio est?

Cicero: sed hoc tui & consilij, & iudicij est. lib. xiiii. famil. epist. lxxii. lib. iii. epist. ii. Idem Bruto epist. v. i. epist. vii. & epist. viii. & epistola ix. Idem Cicero: tuum iudicium est idque liberum. lib. x. famil. epist. iii. & libro xv. epist. xiiii. Idem: Tuum consilium est. lib. xvi. epist. iii. Iterum: Vestrum iam consilium est, non solum meum. lib. xiiii. epist. xiiii. & epist. xviii. Iterum alibi: Sed huius rei totum consilium tuum est. lib. xv. epistola xiiii. Reperias earum formularum apud eundem M. Tullium synonyma non pauca, sed meo animo non ad superiorum elegantiam, quales sunt: iam id vos videte. Item hæc pro tuo ingenio considera. Item. Sed hæc ipse viderit. A. Gellij locum penè imprudens præterieram: qui libro primo Noctium Atticarum, cap. xviii. In hac re, inquit, de viro tam excellentis doctrinæ non meum iudicium est. Livio quoque non insolens ea formula: Vtrum è rep. sit nec ne, vestra existimatio est. lib. xxxiiii.

fol. 591. *Quid si quomodo ceteri latrones persenserint, non rursus recurre ad asinum, & rursus exitium mihi parabis.*

Si, ut in formulis antiquitus solent loqui, scripturam restituerò, non videbor peccare: Quod si quoquo modo, deinde adhibendo interrogationis notam verbo ultimo, parabis?

fol. 594. *Cognosco non Hemum illum prædonem famosum; sed Lepolemmum sponsum puella ipsius. nam procedente sermone, paulo iam clarius, contempta mea presentia quiescere mortui.*

Scribo: paulo iam hilarius contempta mea presentia, quiescere mortui, quasi dicat procedente sermone, asini præsentia contempta, tandem audentius se mutuo amplexos, in m. s. extitisse arbitror hilarius, idque à fungis illis illico deprauatum. Idem in l. providendum. C. de postulando. Si in vno anduorio duo tantum præ ceteris fuerint, vel plures, quorum fama sit hilarior. In membranis Coloniensibus scripserant hilarior, quod idem cum in m. s. suis vir magnus offendisset, legendum putavit, clarior. sed in illo, cum eo sentire non possum. Spem hilarem, famam hilarem Apulei alibi dixisse demonstrarem, si precium operæ me scire facturum.

fol.eod. *Cuncti denique, sed prorsus omnes vino sepulti iacebant omnes, partim parati morti.*

Legerim lubens: *Cuncti denique, & prorsus omnes, vino sepulti iacebant humi, partim parati morti.*

fol.598. *Exin me suum sospitatorum nuncupatum matrona prolixè queritabat.*

Ignoratum verbum antiquum loco corumpendo fuit. ad oram libri adscripsere *prolixè curruabat*, præpostera certè eorum hominum opera, qui cum vellent iugulum, talum presserunt. cetè monstrum verbi *Curruare*, restitui non inuitis nouem illis serioribus: *Exin, me suo sospitatore nuncupato, matrona prolixè queritabat*: quasi dicat triumphabat, exertè clamabat. Promittere aliquid *prolixè*; facere animo libenti, *prolixo*, nota cuilibet. de altero, vet antiquo, prius eos consulendum est. Nonius Marcellus: *quiritare*, inquit, est clamare, tractum ab ijs qui *Quirites* inuocant. attamen inueniendo apud eundem est, quod subiicio: *Clamat quiritasum*. scribo, *clamat, quiritat*. Lucilius:

— clareque *quiritans*.

Asinius Ciceroni lib. x. epistolarum ad Familiares: *& illi misero quiritanti cuius Romanus sum, respondit*. Varro quinto de sermone Latino: *Vt quiritare urbanorum; sic iubilare rusticorum*. Et inde istud apud Apul. lib. viii. *Canes iubilationibus solitis, & huiusmodi verbis inhortantur*. quod ibidem de rusticis dictum est. quin imò & ipsum illud *Quiritadi* verbum huic scriptori post vitatum animaduerti libro octauo: *At ille, ait, deum fidem clamitans, alius queritabat*. alibi quoque Apuleio eam vocem reddendam obseruauit. ceterum loca in præsens non occurrunt. Arnobium usum quoque memini libro quarto aduersus gentes. adhibendus & Festus in *iubilare*.

fol.eod. *Placuerat vni domi me conclusum & orio sum ordeo, lecto, fabaque & vicia saginari.*

Possis interpunctione sublata intelligere de lecto, & purissimo hordeo. nihilominus tamen temeritatem, seu oscitantiam potius librariorum sententiæ inuertendæ fuisse, deierate ausim, fortè quod minus nota leguminum vocabula, ista videlicet: *& orio sum ordeo, lente, fabaque & vicia saginari*. Lentem, & diminutivè formatam inde lenticulam qui ignorat, consulat Plinium. inter confirmandæ coniecturæ nostræ adhibebimus Apuleij verba, quæ libro sexto: *Et accepto frumento, & ordeo, & miko, & papauere, & cicere, & lente, & faba, commisisque acernatim*. Columella li. De re rustica: *Commodissima cibaria palumbis putantur vicia, verum, tum etiam lenticula.*

fol. 599. Ergo igitur euocato statim armentario equisone,
 magna cum præfatione deducendus adsignor. &
 sane gaudens, lætusque præcurrebam, sarcinis &
 cæteris iam renunciaturus.

Ad rem magis pertinere visum, si legeretur, sarcinis & di-
 sellis.

fol. eod. Actis gratiis, honoribusque plurimis asino meo
 tributis humana facie recepta, multo tanta, pluri-
 bus beneficiis honestarer.

Tollenda distinctio, ac scriben. multo tanto pluribus.

fol. 606. Sic apud historiam de rege Thracio legeram,
 qui miseros hospites ferinis equis suis laceran-
 dos, deuorandosque porrigebat. Adeo præpotens
 ille tyrannus, sic parcus ordeis fuit.

Postulare uisa sententia: Adeo. n. præpotens. hoc est, adeo enim præ-
 potens. Diomedis Thraciæ regis historiam attingit: qui cum e-
 quos suos carne humana aliquandiu aluisset, ab Hercule victus,
 & equis suis in pabulum proiectus est. auctor poematis in Ibin:

Ut qui Threici quondam præsepia regis.

Fecerunt dapibus sanguinolenta suis.

Ouidius libro nono Metamorph.

Qui cum Threcis equos humana sanguine pingues.

fol. 612. Occipiens à capite, imo uerò ab ipsis auribus to-
 tum me compilabat, cedens fuisse grauissimo.

Affirmare a uisum ad imitationem Plauti dixisse Apuleium, to-
 tum me concipulat.

fol. 616. Stuppa sarcina me satis onustum, properèque
 funiculis constrictum.

Nulla hic festinatio agebatur. placet scribi: probèque funiculis
 constrictum.

fol. 619. Miserrimumque istud magisterium renuens
 querelas huiusmodi concinat.

Geminatione consonantis, quam rem librorum descriptori-
 bus neglectui fuisse alibi docui, rectè legetur, concinnat. Ad hunc
 modum Vlpianus noster causarum concinnatores, & alij techna-
 rum concinnatores denominauerunt. Atqui paulò inferius eo-
 dem hoc libro, ubi ut asini abactorem serui inuadunt, inquit via-
 tor rusticus: nullum semet uidisse ductorem, sed planè concinnatum, so-
 lusum,

lutum, & solitarium ob indicinæ præmium occupasse asinum. suspicatus sum iam olim, hysteron proteron esse, & scripsisse auctorem, concitatum, solutum. namque asinus loro, quo destinatus fuerat, abrupto, celeri, & projecto cursu vrsam fugerat, & fugiendo à viatore, in quem fortè inciderat, fuerat arreptus.

fol. 624. *Nam corium affirmatum cineris inspersum dominis referemus.*

Agitur de asinino, & ipsius Lucij corio. Non pessimè correxisse mihi videor, corium obfirmatum cineris inspersu.

fol. 631. *Quid meraptatis? quid inuaditis? ante nos tractamus inciviliter?*

Quid si comicum illud possessionem quondam hic haberit, *Am tu uos te tractamus inciviliter?*

fol. 638. *At ego gratias agebam puero, quod saltem mortuus, unam carnificinæ meæ dieculam donasset. nec tamen tantillum saltem gratulationi meæ, quietique spacium datum.*

Verum esse arbitror, saltem vero simillimum: nec tamen tantillum saltem gratiola meæ, quietique spacium datum.

GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. VIII. DE ASINO

QVÆSTIONES.

God. Ste. Francisco Modio.

S. D.

S I M V L Nouantiquas tuas inspexi, non minori quàm pro amicitia nostra debui, lætitia affectus sū. Vidi. n. te, charissime Modio, nō literis modò; sed cū humanitatis tuæ, tū aliorū ornamentorū causa, quæ magna in te, magno quoq; amicorū numero auctiorē in patriā reuē-

turam. Peregrinatione ista (etsi molestam fuisse dubium non est) perfunctum te multis nominibus est cur gaudeas. mitto bibliothecas perlustratas, visos multorum mores, & vrbes: tenim tot, tamque præstantibus per Germaniam vitis innotuisse, multis eorum coram adfuisse, consueuisse, conuixisse, hæc ego in prima felicitatis parte deputo. Fortunatum te, cui tantum ocij obrigit; sapientem, qui totum illud in negotio reip. collocasti; præclarum, & omni honore dignum patronum tuum D. Erasmus Neuteterum, cuius vnus liberalitate tu id aptus. Quærem ex te de amicis, ac familiaribus nostris, sed pariter mecum nescire autumo quid agant, vbi agant, quod mihi quidem tam molestum, quàm quod molestissimum. Vale, & Apuleij hæc, de quibus ex te quærendum censui, despice.

PAENISIME. Apuleius lib. III. Floridorum emendatus. Facessit luctus.	Insistere, insultare, inequitare aliis. Capulus; capulares senes, rei.
Alius, alij, alio. totus, toti, toto. Alia multa sic declinata.	Propter ignem adfidere. Unica sepultura. consubernium vnicum.
Confirmata lectio Vlpiani. in l. inuitus. ff. de diuer. regul. Iuris.	Exitus Lancinare. Plautus emen. Preminari. E I mmitto pro, mmitto.
Luctu, pro luctui. Tempus lugendi viduis lege præfixum.	Sancus Deus. Sabbazius. eius sacra.
Luctus quibus causis olim Roma minus.	Empti de mensa. Excire.

fol. 651. Et conuersatione frequenti, nonnunquam etiam cœna, poculoque communi curior, curiorque factus, in profundam Romam cupidinis sese paulatim ne sciens precipitauerat.

Cùm de fornice, cùmque pro lupanaria huic Apuleio, Senecæ, Petronio, Arnobio quoque vsurpatam, cogitarem: vel legendum statuissem, in profundam Foueam. oportune in memoriam te dii I. Lipsium lib. II. epist. XXI. restituisse, in profundam ærumnam.

fol. 661. Et ecce mariti cadauer accurrit, labentique spiritu totam se super corpus effudit, ac plenissime ibidem, quam de nouer at ei, reddidisset animam.

Exigua, at certa mihi emendatio: quæ parum quidem ad ornatum, plurimum tamen ad sensum: ac penissime. voce declinata ab aduerbio panè. vsus hic auctor alibi. & vsus quoque Plautus. En alterum locum Apuleij à me quoque reparatum li. tertio Floridorum: cùm impedita esset imbri recitatio, in propinquum diem

diem vobis volentibus protuli, & quidem Philemonis exemplo pœnissimè. Si enim librum inspexeris, nimisquàm insulsum esse comperies illud vulgare: & quidem Philemonis exemplo, plenissimè quippe eodem die, &c. Integrùm id vocabulum Apuleio remansit secunda Apologia sua: nam quod pœnissimè inquit, oblitus sum.

fol. 668. Prius quam dolorem lachrymæ satiarent, & per cita mentis resideret furor; & in sese nimietatis senio lacefferet luctus.

Primum scribo *facefferet luctus*. Nonium, item & Festum consulendos suadeo in *Faceffere*. Apuleius libro tertio: *Omnia contatio: ignavia omnia faceffat è pectore*. Deinceps porro sub dubito num in m. l. aliquando fuerit, *dolorem lachrymæ exsatiarent*. solens quippe illi vt aliis idoneis auctoribus quoque, composita, pro simplicibus vti, quod aliis quibusdam, præsertim poetis, contrà placuisse, eorundem lectione manifestum fit.

fol. 671. Si pectori tuo iam permanet nostri memoria: vel acerba mortis meo casu foedus charitatis intercidit: quouis alio foelicius maritare, modo ne in Thrasillimanum sacrilegam conuenias.

Dissuadet umbra mariti nuptias sui percufferis. cui libet (inquit) alij coniungere potius quàm Thrasillo. sententia aperta est, sed verba vni passa à sciolis, qui non animaduertunt alio hinc positum tertio casu. scribo: *cuius alio foelicius maritare*. Sed dicent inuestes quidam pueri: at hodie nemo ita loquitur? fateor, sed veteres scimus aliter multo locutos, quàm quomodo nos loquimur. imprimis Pronomina multa nõ in ius genitiuo, & datiuo i. sed genitiuo i. & in datiuo o. declinasse, testis Priscianus lib. 6. Hinc alia aliæ, alia; illa, ille, neutra, neutre, vtra vtra, vna, vnæ, vlla, vllæ, &c. apud Sospitrum Charisiũ lib. 11. Ea phrasi in omnibus Apuleij exemplaribus est libro septimo: *Sed planè crastino libet non tantum naturam, verùm etiam caput quoque ipsum pessimo isto asino demere*. Eandem phrasim & libro octauo obseruabam: *Vno potiundi studio postponens omnia*. Iterum libro decimo: *inhiansque toto filii patrimonio imminabat, & capiti*. Identidem libro vndecimo in missione populi: *Principi, inquit, magno, senatuique, & equiti, totoque Romano populo renunciat*. Sed res ipsa vix tanti esset, nõ mihi in animo foret confirmare lectionem Vlpiani, quæ in Pandectis Florentinis, quam alij peruertere conati, in l. inuitus. CLVI. ff. de diuer. regulis iuris: *Cum quis in alij locum successerit, non est æquum ei nocere hoc, quod aduersus eum nocuit, in cuius locum successit*

nam qui substitueret, cum quis in alicuius locum, eos ego hanc phrasim non intellexisse assero. sed hactenus, subsidium à libris quibus instar corollarij accedet vetus inscriptio:

DATE. TER. FRVCTVM. VT.

TERRA. REDDERE. POSSIT.

AB. ALTERO. SPERES.

ALTERO. QVOD. FECERIS.

Ali rei, pro, alia rei Plautum dixisse: rursus alios, *alimodi, pro, aliusmodi*, Festus notauit se vtrunque à nominatiuo alis declinabant: de quo Priscianus lib. xii. Sospater Charisius lib. ii. Diomedes lib. primo. Rursus alibi Plautum dixisse, *alia mulieri*: & Ciceronem, *vna mulieri*: alij mecum obseruarunt. Adhibe & Agellium libro ix. cap. iiii.

fol. 675. *Boni ergo, & optimi consules, si luctu legitimo miserrime foemina necessarium concesseris tempus, quo ad residuis mensibus spacium reliquum compleatur.*

Luctu dixit antiquè, pro, luctui. qua phrasi apud Varronem, & alios, *præire exercitus*. qua de re nos ad Fla. Vegetium. & Gellius lib. 4. cap. xvi. Idem lib. primo De asino dicitur, *primum ingressu stabulum*. De luctus tempore legitimo visum est rei illustrandæ Imperatoriam constitutionem subiicere, quæ est in l. Si qua. C. de secundis nuptiis: *Si qua ex faminis perditio marito intra anni spacium alteri festinauerit nubere (paruum enim tempus post decem menses seruandum adicimus, tamen si id ipsum exiguum putemus) probrosius iniusta notis, honestioris, nobilisque personæ & iure. & decore priuetur, atque omnia, quæ de prioris mariti bonis, vel iure sponsalium, vel iudicio defuncti coniugis consecuta fuerit, amittat.* Decem menses olim luctus, proinde: vt anni quoque totius spacium fuerunt, testatur Plutarchus in Numa. Gellius videndus lib. 3. cap. 16. & versus Ouidiani, ex primo Fastorum:

Per totidem menses à funere coniugis vxor

Sustinet in vidua tristia signa domo.

De L. Ascanij Elpicani coniuge elegans & digna memoria inscriptio vetus inter Baias, & anuersam: *Liuiæ Rufinæ nomen illi fuit. pars inscriptionis saltim adhibenda causa breuitatis:*

quæ adfecta cineribus coniugis adeo fuit

vt ad secundum nullo vnquam tempore transire

voluerit. quamuis diu superuiveret. & etas

posceret. & valida natura. virilem

quem semper seruauit animum fidemque

puicitia quasi mutare compelleret.

puici-

*Et ne breuem domesticam pugnam credas
post maritum Vix. ann. l. m. VIII. &c.*

Quod ad luctui præscriptum tempus, de eo remissum quoque fuisse, cum privatis, tum publicis de causis, didici ex Festo: *Minnitur* (inquit) *populo luctus adis dedicatione, cum Censores lustrum condiderunt, cum votum publicè susceptum soluitur. Privatis autem, cum liberi nati sunt, cum honos in familia venit, cum parens, aut liberi, aut vir aut frater ab hoste captus domum redit, cum desponsa est, cum propiore quis cognatione, quam is qui lugetur, natus est, cum in Casto Cereris est, omnique gratulatione.* Post Cladem verò Cannensem, dum non essent matronæ, quæ sacra Cereris facerent, propter frequentiam lugerium, institutum Romæ fuisse, ne amplius centum diebus lugeretur: præter alios, idè quoq; Festus memoriæ prodidit.

fol. 676. *Et imperio Charites adornatus, & captiosa vigilia nutricis deceptus.*

Fortassean genuinum sit: *& captiosa vigilia nutricis exceptus.*

fol. 679. *Intrò vocata Charite masculis animis, impetique diro ferme, innadit, ac superstitit sicarium.*

Legendum arbitror, *ferum innadit, ac superstitit sicarium.* insistere, supersistere, insultare, victoribus, ac triumphantibus congruentia vocabula. pro quibus Arnobius libro secundo, & alibi tralatè frequentavit, *inequitare aliis.*

fol. 684. *Hortati mutuo ferrum vesanis extorquere manibus. sed Charite capulum [capit] Lepolemi propter ad sistens, gladioque fulgenti singulos abigens, &c.*

Risu suaviter librariorum ineptiam, quos magnam hinc fraudem frausos audies. temerarij, ne dicam stolidi illi, cum rem ipsam non satis assequerentur, inserto verbo [capit] sententiam inuare studuerunt. sed fecerunt intelligendo, vt nihil intelligerent, capulum illi putarunt gladij manubrium: sed toto cælo aberrarunt, cum Nonio capulum interpretor sarcophagum, sepulchrum, à capiendis corporibus dictum. Verbū Plauto, Varroni, cæteris antiquis crebrò vsurpatum, quos hic scriptor auctores libenter sequitur. Repetitur idem ab Apuleio libro quarto De asino: *Ibi capulos carie, & vetustate semitectos, queis inhabitabant puluerij, & iam cinerosi mortui.* Iterum libro decimo: *cooperculo capuli remoto.* Exinde porrò & senes capulares, quasi morti contiguous; & capulares quoque reos dictos quasi capulo dignos probat Fulgentius Lucilij, & Cæcilij testimoniis; & Plauti. Nonius

Marcellus. Redeamus tamen ad illud, *Charite capulum Lepolemi propter adfistens*, quod dictum ea phrasi, qua eodem hoc libro: *propter ignem adfistens*. & libro proximo, *cubiculum propter adstantes serunt*. vide Nonium in Proper.

fol. eod. *Accuratissime corpus ablutum munita sepultura ibidem marito perpetuam conjugem reddere.*

Tantum dicam suspectum videri *munita*. vide sitne melius *unica*. ut animum eò inclinem, facit ipse Apuleius, apud quem lib. x legimus: *unico illi contubernio communem vitam sustinebant*. Itidem & lib. vndecimo: *connexa imo verò unica ratio numinis*.

fol. 687. *Thrasillus verò omnibus cognitis, nequiens idoneum exitum presenti clade reddere.*

Ad sententiam facere visa coniectura, *nequiens idoneum exitum presenti cladi reperire*. iam manus ultrices Thrasillus senserat. iam que Charite Lepolemi vxor (quem scelere illius interemptum paulò antè didicimus) acu crinali eum utroque oculo orbauerat: cui cladi suæ non alius magis conueniens exitus, quàm ut Charites exemplo ipse sibi manus inferret, ac vitam ferro abrumperet. De exitu nos quoque alias.

fol. 688. *Non laciniatim disperso, sed cuneatim stipato commeatu difficultates illas transabiremus.*

Repono *laciniatim disperso*. in quo vereor tamen equè opinionem nostram probes, ut in eo quod subiciam ex libro vii. De asino: *Nec usquam ruris reperitur illic: sed planè corpus eius membratim laceratum, multisque dispersum locis, conspicitur*. verbum enim antiquum restituendum censeo, *membratim laciniatum*. quo de nos iam antea egimus. Et si Plauto quoque id verbi reddendum credamus Mercatore, pro, *Lacerari, Perfidiã, iniustitiam lenonum expromere; Lacinari validè suam rem, illius augetur*.

fol. 692. *Qui præter genuinam ferocitatem tumultu suorum exasperati circa nos ruunt: & undique laterum circumfusi, passim insiliunt.*

Legerim, *contra nos ruunt*. itidem & pag. seq. *proteritis, atque obruitis*, pro quo editi codices habent, *perterritis*.

fol. 699. *Ac dum pabulo vestro, suaque cura refecti, sarcinulis quisque suis sumptis viam capeffunt.*

In Parisiensi editum, *pabulo nostro*. sed ea via non puto plagam illam satis curatam. Tentabimus, coniectura ne possimus eruere quid

quid conuenientius. loquitur asinus de toto latronum suorum globo, qui varia quoque in suo comitatu iumenta duxerunt. hi paulò antè à rusticis malè accepti, ex prælio vniuersi euaserant saucij, alius lapidis, alius morsus canum vulnera referentes. quare emenso iam aliquanto viæ spacio, & pabula iumentis præstanda, & vulnera in itinere ab ipsismet obliganda erant. vnde fit vt scribere ausim, *pabulo nos, nostrique sua cura refecti*. Et hoc iam me probasse tibi spero. nescio an similiter etiam facturus sum, quod sequitur, duabus tantum lineis intercedentibus: *Mox hora diutina commoti, mittunt è suis accersitorem. scribo mox mora.*

fol. 708. *Ibi larem, sedesque perpetuas pastores illi statuere decernunt. quod & longè quasi turis firmæ latebræ viderentur, & annonæ copiosæ celebritas inuitabat.*

Aliàs mihi non displicuit, *longæ quasi turis*. vt & Plautum loqui memineram. at nunc nescio quomodo impènius placet, *longi quasi turis firmæ latebræ*. de alterutro tibi opinionem do. memineris tantum instructum, cognitum, alia similia auctorem elocutum, pro instructione. quod verò superiori pagina scribo, *hunc illum, nec alium eorum locorum inquilinum præminabatur*. præ illo vulgari, *nec alium cecorum locorum inquilium præmittebatur*, arrisurum tibi confido, si narrationem asini totam perscrutaberis. Præminandi verbum supra quoque Apuleio me reddidisse, faciliè memineris.

fol. 709. *Atque adequè, vel donemus eum cuiquam.*

Quid si legas, *atque aded, inquit, vel d. e. cuiquam.*

fol. cod. *Fortuna rursus in me cecos detorsit oculos, & emptorem aptissimum duris meis casibus ire repertum obiecit. Scitote qualem, Cynadum, & senè Cinedum: caluum quidem, sed cincinnis semicanis, & pendulis capillarum.*

Scribe meo periculo, *duris meis casibus è re repertum*. deinde cum Parisiensi exemplari, & *pendulis capillarum*.

fol. 714. *Si faciem tuam mediis eius feminibus emiseris. facile percontaberis.*

Ne ambige, quin Apuleianum sit: *feminibus eimiseris*, facile perscrutaberis.

fol. 717. *Omnipotens & omniparens Dea Syria, & pars Etnus Sabadius, & Bellona & mater Idea.*

Tentaui reponere, & *Sancus, Sabazius*. nam quis deus ille Sabadius, etiamnum incognitum. Sabazium Bacchum quidam interpretati à sabasms, id est, tripudiis, & furiosis saltationibus, cuiusmodi in sacris huius Dei fiebant. Suidas auctor est, Σαβάζιον à Barbaris dictum Bacchum. qui σαβάζειν pronuntiabant, pro, δαΐζειν: alij Sabazium Bacchi filium faciunt, inter quos Harpocration. Reperi de eodem Deo inscriptionem antiquam, quæ Romæ in ædibus Altherorum:

Q. NVMIVS
ALEXANDER
DONVM. DEDIT
IOVI. SABAZO.

Arnobius lib. IIII. *Sacra, & ritus initiationis, quibus Sabadijs nomen est.* probè emendauit ibidem amicus meus Theodorus Canterus, *Sabazys*. quod ad Sancum Deum, aliàs dicturi sumus. De Sabazio etiam consulendus Lilius Gyraldus libro octauo de Dijs Gentium.

fol. 723. *Erat quidam iuuenis satis corpulentus, choraula doctissimus, collatitia stipe de mensa paratus.*

Motos scio Parisienses sententia Beroaldi, vt coniunctim cederent, *stipe de mensa*, quasi, deprompta, prolata. ceterùm Beroaldum opinionem facilè depositurum fuisse verosimile est, si quis ei hunc Apuleij locum ex prima Apologia opposuisset: vbi de M. Catone consule in Hispaniam proficiscente, & tres solummodo seruos educente: *Quoniam ad villam (ait) publicam venerat, parum visum, qui vteretur, iussisse duos pueros in foro de mensa emi. eos quinque, in Hispaniam duxisse.*

fol. 740. *Sonitu tympanorum, cantusque Phrygijs multibus modulis exercitus.*

Scribendum, *excitus*, declarauit in Coniectaneis meis ad Sexti Iulij Frontini strategemata.

GODES-

GODESCALCI STEV-
VECHII IN L. APVLEII

LIB. IX. DE ASINO
QVAESTIONES.

God. Stevv. Ioan. Metello Sequano

I. C. S. P. D.



RATAE mihi nuperæ litteræ tuæ, & quidem variis de caussis. quanquam rogandus, precibûsque adfuidis flagitandus Deus O.M. auertat tandem aliquando iram suam à nobis, vt hostibus eueniant quæ de bello tu isthic ominaris tam ingenti, tam pernicioso. Mihi mensibus superioribus pugna fuit, seu mauius duellum, cum ex scriptoribus librorum L. Apuleij: quo vtrum rectè defunctus sim, tuum inprimis cupio esse iudicium. mihi profectò hoc decertandi, seu velitandi genus placet præ altero illo campestri. delectabor etiam magis, si tibi non improbari animaduertero. Suffrido Petri, Arnolde Mylio, amicis cæteris ex animo salutem. Vale.

*A F V I S S E. Saucius vino. En-
nij versus emendatus.*

*Addicere, admittere verba auspi-
ciorum. Apuleius de Deo So-
cratis correctus. & Nonius.*

*Aues augurales quæ. Blaterare
adblaterare. Meta salutis, diei,
ultima.*

*Exercitus malis. Diffundere
& diffindere locum commu-
rarunt. Apul. correctus.*

En, ecce usui in rebus subitis, ma-

*gnis. Apuleio, & Petronio red-
ditæ ista voces.*

*Interdum, Interim mutuam si-
gnificationem sumunt Con-
firmatæ lectiones in Apu-
leio.*

*Confirmata scriptura in l. XIII. ff.
de vacat. Suspiciosus, & similia
reciproce dici.*

*Prouerbiu, os alicui sablinere,
Varro, & Lucilius apud No-
nium restituti quid AERA,*

Inducere. Apuleius libris superioribus emendatus.

Alius, alienus, alter, aliter, de rebus infauſtis dicebant.

Kalendarum, Nonarum, Iduum poſteri dies, atri, & alieni nuptijs.

Plerus. Capilli quando inſperſi cinere, quando uncti: *Alia* in comâ ſuperſtitiones.

Quantulum quantulum. Apuleij

locus alibi conſtitutus. homines pro, omnes.

Transadiit pectus. Triumphator cluet triumphatam eas.

Miles, milito, commiles, cõmilito.
Simulare e re.

Mos contingendi genua. ofculandi manus. amplexandi aram.

Aræ, cur anſæ dicte.

Adagia, de umbra aſini, de proſpectu aſini.

fol. 744. *Vinculo quo fueram deligatus arrupto, curſu me proripio.*

Nihil ambigo, quin in m. ſ. fuerit *arupto*. itidem illi ſcribebant, *aſuiſſe*. quod membranei codices paſſim retinent. etſi frequenter ea interpolent librarij, & pro iis nobis ſupponant *abrupto*, *abſuiſſe*. qua de re nos aliàs.

fol. 750. *lámque ultro foribus patefactis, plenius an ſimiam mansuefactus periclitantur.*

Fortè melius ſit ſcribi, *planius*. quod per rimas primum conſpicati, id poſtea, aperta ianua de plano cognoscunt.

fol. 756. *Ac dum Veneris colluctationibus ſecurius operantur.*

Scriben. *Veneris colluctationibus.* Columella: *rebus Veneris operari.*

fol. 757. *Quanto me ſœlicior Daphne vicina, quæ mero, & prandio matutino ſaucia.*

Mutauit in *Parif.* exemplari haud dubiò ex ſententia Beroaldi, in *ſatia*. tamen etſi reclamant hæc ipſius Apuleij ex libro ſeptimo: *Et inſtantia validiore vinum immixtum, ſed iam modico tepèfactum vapore. ſaucijs illis & crapula, vinolentiâque madidis, ipſe abſtemius non ceſſat impingere.* Itidem alterum teſtimonium Ennij Alceſtide:

————— *hæc anus admodum*

Friguttit, nimirum ſe ſaucianit flore liberi.

Qui verſus apud Fulgen. in *friguttit*. vbi ſcripſerim, *rore Liberi*. Pari phraſi efferebat Apul. libro ſuperiore, *cruorem præterfluentis aquæ rore diluere*. Apuleius lib. 11. mihi verò *ſaſigatianiſ heſterna* etiam nunc *ſaucio*.

fol. 764. *Si praelium capeſſiturus, vel latronum factio-
nem perſequiturus utiles, nec ne, proceſſus ſciſ-
citarerur: aditam victoriam forti praefagio con-
tendebant.*

Fraudes ſortilegorum auctor detegit, ac perſtringit, quod ni-
mirum ſorte vnica maximi cauillatores ſatisfacere pluribus co-
narentur, ſiue illi de matrimonij faelicitate, & ſucceſſu quaere-
rent; ſeu de poſſeſſionibus emendis vel profectione inſtituenda
auſpicium captarent, ſeu denique de proeliari euentu ſoliciti eſ-
ſent. quippe boues coniunctos terram proſcindentes: quæ ſors e-
rat: lata omnia his omnibus prænuntiare. Hæc, inquam, Apu-
leij mēs eſt. & quò perſpiciatur facilius, adhibebo correctionem
meam, audeo dicere veriſſimam. *aditam ſortis praefagio contem-
debant.* Verbum addicendi per familiare auſpiciis. Tacitus pri-
mo hiſtor. *auētus homine, addicentibus auſpiciis vocat concionem.* ſic in
auguriis aues addicere, vel, quod pro eodem erat, *admittere* dice-
bantur, apud Liuium, Plaurum, Senecam. vide ſi lubet Feſtum in
Addicere iterum in *Admiſſiua*. & notas doctiſſimi Andreæ Scot-
ti in auctorem de viris illuſtribus, vbi ſimile mendum ab eodem
ſublatur. Varronis locum hactenus deprauatum apud No-
nium in Triftis rectè emaculo: *Illud verò quondam animo meo ſe-
dit (vulgo quondam meo fecit) ut ego non metuum fulmen, non haru-
ſpicem triſtem, ſunul addici (vulgo ac dici) non quaero.* Videndum
portò, ſitne apud Feſtum, in Præpetes, reſtituendum pro re, *ad-
dicant*, vbi legitur *indicent*. Sed nunc retrogrediamur in Apu-
leio, apud quem paulo ſuperius legimus, *nomum quaſtus genus ſibi
commiſcuntur. ſorte vnica pro caſulu pluribus euocata.* In veteri edi-
tione Italica expreſſum vidi, *ſorte vnica de caſulis.* neſcio an volue-
rint *de caſſulis*. Emendatum porro alterum à me Apuleij lo-
cum, placet eadem opera ſubdere. Apul. lib. de Deo Socratis: *vt
Annibali ſomna orbitatem oculi commoneant, Flaminio auſpicia pericu-
luſ cladis prædicent; Attio Nauio miraculum cotis adyiciant, ſcribo
prædicant, Attio N. m. cotis addicant.* Quod ad alites, quæ vo-
latu auſpicia facerent, numeratæ, buteo, ſanqualis, immuſcu-
lus, aquila, vulturius, auctore Feſto. De reliquis auſpicio-
rum cerimoniis idem in Præpetes. in *Oſcines*, & Gellius lib. v i.
cap. v i.

fol. 767. *Noxios religionis antiſtites ad diſcrimen vo-
cari capitis.*

In exemp. Italico, & Pariſienſi, *vocantur capitis.* quid ſi

scripserimus: *innocios, religionis antiſites, ad discrimen vocari capi-
tis? nihil enim minus, quàm fontes videri ſacerdotes illi vo-
lebant.*

fol. eod. *Hæc & alias ſimiles affanias fruſtra ablateran-
tes eos, retrorſum abducunt pagani. ſtatimque
vinctos in Tullianum compingunt.*

Non vereor, quin quibus iudicium ineſt, pro genuino Apuleij
exiſtimaturi ſint, fruſtra ablaterantes. Quid enim ſacrificuli illi de
matre Deum, de munuſculo ſorori miſſo effinxerint, notum ex
ipſo ſcriptore. his alia inſuper nugamenta adſtruere conati, quò
capitis discrimen à ſe defenderent, atque innocios ſe probarent.
Blaterare, ſtultè loqui eſt. nam Græci βλάκας, ſtultos appellabant,
vt docet Feſtus.

fol. 775. *Vngulas multiniæ circumciſione in enorme ve-
ſtigiū porrecti.*

De aſinis dicta, qui multiplici circuitu molas in torquebant, vt
ſolent, in priſtino. quare ſcribebam, *multiniæ circumciſione.*

fol. eodem. *Veteriſque Lucij fortunam recordatus, &
ad vltima ſalutis me tandem truſum, ſummiſſo
capite merebam.*

Id à Pariſien. & ipſo adeo vigilantiffimo interprete ita relictū
merito mireris. vide num rectè emacularim: & ad vltimam ſalu-
tis metam detruſus. alibi certè hic auctor pari phraſi uſurpabat vlti-
mam diei metam. lib. videlicet decimo extremo. itidem vitæ me-
tas vltimas dixit libro quarto.

fol. 776. *Gratas gratas aſino meo memini, quòd me ſuo
celatum tegmine variſque fortunis exercita-
tum, eſi minus prudentem, multiſcium certè
reddidit.*

In re ſimili ſolent fere antiqui efferre, *variſque fortunis exerci-
tum.* quo modo idem hic libro decimo: *Ne ille vir alioquin exer-
citus, tam multiſorme facinus execrata veneficæ dilatione languida paſ-
ſus marceſcere.* Virgil. III. Aeneid.

— nate Iliacis exercite fatiſ.

Itidem apud Plautum obuia hæc, *habere aliquem exercitum: ſa-
miliam habere exercitam.* ſimili phraſi apud Lucretium eſt, li-
bro I I.

Conſiliis & diſidiis exercita crebris.

Saluſt. Catil. *magis ambitio, quàm auaritia animos hominū exercebat.*

fol.

fol. 794. *His, & huiusmodi suadelis validum addens aculeum, qui rigentem prorsus serui tenacitatem violenter diffunderet.*

Duūm verborum diffundo & diffindo alterum in alterius locum non rarò immigrasse alibi monui. nescio an & hoc loco Apuleius ipse scripserit, *validum addēs cuneum. ac mox diffinderet.* stabunt spero ad me quicumque energiam vocis violenter expendent. Iterum Apuleius in eadem voce corruptus, quarto de asino: *perfracta, diffusaque crate costarum riuos sanguinis vomens. scribendum, diffisāque.*

fol. 795. *Ceterum expugnata iam Myrmecis pertinacia, & praesentaria pecunia formidine seruili denicta.*

Suspicio mendō non vacare quod sequitur :

Tunc deuorato pudore, & dimota contatione sic ad aures dominae inauditum perfert.

Fortè reponendum. *hic ad aures dominae mandatum perfert.* vt mandatum intelligamus ipsius Philestari amatoris adulteri, quo cū hic seruus de pudicitia heræ transegit, tentata nihilominus, & explorata prius dominae voluntate.

fol. 799. *Commodum prima stipendia Veneris militabant noui, & nudi milites. Et contra omnium opinionem captata noctis oportunitate improuisus maritus adsistit.*

En, ecce, particulae sunt perfamiliares iis, qui magnum aliquod facinus narraturi, & velut in scæna fabulam posituri sunt: ea propter libenter restituerim, En, contra omnium opinionem. nam valde ea res præter expectationem adulterorum iam primo amoris, & amplexui litantium. Sic & libro septimo De asino, his verbis: *quemque enim viatorum prospexerit siue illa sit vetula mulier. siue viro nubilus seu tener puellus, sese illico disturbato gestamine. emendandum censeo, seu tener puellus, ecce illico dist. gesta.* in quo non tam mea me opinio delectat, quàm ipsius Apuleij auctoritas confirmat, prædicto libro septimo: *Et ecce de proximo specu vastum attollens caput vrsa.* Iterum libro eodem: *Et adueniens ecce rusticus.* Patitur & libro nono: *fabulam præ ceteris suauè comptam ad aures vestras adferre decreni. & en occipio.* Mihi quoque dubium non est, quin eodem modo reponendum libro decimo: *rusticus prælacebans facibus ecce influunt innuptatum puellarum decora*

facies. in editis codicibus haecenus sedit, & influunt. Apud Petronium. Arbitrum in halosi Troia:

————— *haec ad fata compositus Sinon*

Firmabat & mendacium in damnum potens.

Sequentia si legas, non improbas: en mendacium. Apud eundem scriptorem legere tento:

En fauor in pretio. ——— in vulgatis legitur:

Est fauor. Iterum apud eundem:

Es quasi non posset tot tellus ferre sepulchra.

scribo, En quasi non posset.

fol. eod. *Iam saxo fores verberat, & ipsa tarditate, magis magisque suspectus, dira minatur Myrmeci supplicia.*

Multa vocabula in vtramque partem reciproga, & aduersa significatione vsurpata. vsu, & Gellio obseruante didicimus. vt videlicet *suspiciosus* dicatur is, qui suspicatur; item is, de quo suspicionem habemus. at *suspectus* ea notione nondum reperire potui. quæ ratio est, cur scribendum autem: & ipsam tarditatem *magis, magisque suspectans*. vel si manis, *suspectans*. *Suspectandi* verbum ita placuisse Plinio, aliis idoneis auctoribus, Sallustio imprimis, non est operæ testimoniis confirmare.

fol. 800. *Tenebras causabatur sibi obistere, quin clauem curiose absconditam reperiret. interdum Philetærus cognito strepitu, raptim tunicam iniectus, sed planè præ turbatione pedibus in lectus procurrit cubiculo.*

Ita hæc lego, neque in vno illo libros cufos sequor, in quibus ex Philippi Beroaldi sententia supposuere, *interim Philetærus*. nam illud *interdum* pro eodem est. quod ita quoque apud Corn. Tacitum, & in Pandectis vsitatum obseruauimus. De vacatione & alibi. quare apud eundem hunc Apul. retinendum quoque libro secundo: *senire vulgus interdum*. neque emendandum, vt amicus meus putabat; *vulvus incertum*. Ipsum pro se causam dicentem Apuleium audiamus, qui lib. III. De asino: *at dum vaporis flammis* (inquit) *examurcatur*, nos interdum *pulpis eius valenter sanguinantes*. quin & octauo libro apud eundem est: *Et interdum clandestinos coitus obeamus; quo ad dies reliquos permittatur annus*. Pluribus apud scriptorem hunc locis eandem phrasin obseruauimus, & quosdam tollere conatos, non sum nescius, cæterum cur ab iis differ-

dissentiam, prædictis testimoniis ostendisse mihi satis est. In lectione Tertulliani lib. De anima, obseruasse videor, ubi *Interim*, pro *Interdum* vicissim collocatū sit: *Cur idem animas* (inquit) *immaturas, & innuptas, & pro condicione ætatis puras & innocuas interim dignas inferis indicas*: clara erit particulæ istius notio ex Plinij lib. x. epist. xxvii. *Prudenter* (ait) *constituis, interim nauibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint. Hoc amplius, interdum, & interatim, veteres, pro, interdum, & interim dixisse, Festi obseruatione innotuit.*

fol. eod. *Ac ponè eum Myrmex vinculis obrutus, non quidem coram noxe præhensus, conscientia tamen pessima permixtus lacrymis vberibus iam postremis lamentationibus inefficacem commouet miserationem.*

Legendum monui, non quidem in coram, de quo supra. sequenti non minus commodè pro sententia auctoris distinxeris, repositueris, conscientia tamen pessima permixtus, lacrymis vberibus.

fol. 801. *Hac oportuna fallacia vigorati iuuenis indutus, imò sublatu & ad crudelitatem delapsus Barbarus.*

Viueret Apuleius, periculum immineret librarijs screndæ fuxæ; nisi fortè in cruce tollendos existimemus; ob deprauatam, atque adeo deformatam tam facetam, tam lepidam fabulam: in qua inurbanas, & inuenustas mendas diutius non tolero. emactulo autem, *inductus, imò os sublitus, & ad credulitatem delapsus Barbarus.* Phrasis trita, & Plautina est: *os alicui sublinere.* tractum pro uerbum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur, ut auctor est Nonius. etiam in Germanismo nostro, quem decipimus; cui verba damus, ei dicimur mel circum os sublinere. Plautus Aulularia:

Fidei censebam maximam multò fidem

Esse, ea subleuit os mihi penissimè.

Locus Varronis Mysterijs apud Nonium in Portitores, cui id prouerbum periisse existimabam: *Aes defraudasse couponem, benam luto oblenisse, sum portitores æra induxere.* non me præterit à magnis viris restitutum Bouam, vel obuam luto oppleuisse. tentabam tamen legere: *pro nauulo os sublenisse, portitoris æram induxisse.* vel hoc modo: *naulero os sublenisse.* Erat autem æra numeri nota, ut docet Nonius hoc Lucilij testimonio ex libro xxix.

Hec est ratio peruersa æra summa, & subducta improbè, qui uerfus mea opinione legendus:

Hæc est ratio perversa, æra summa est subducta improbè. Ac ræ mentionem quoque videmus in legibus Visigothorum. & nos non inepta eius vocis interpretamenta aliquot in m. s. tuo vidimus, quæ brevitatis causa omittere volui. Redeo ad Apuleij verba, quibus *inductus*, sat ornate dicitur, qui deceptus est. sic & Cicero in orationibus coniungit: *inducere, decipere, destituere.* Idemque alibi: *decipere, fallere, inducere.* Vfus similiter Arnob. lib. ii. & Lactan. lib. iii. cap. primo. Vnde est cur supra libro secundo De asino, vt mendosum suspectem hunc locum: *malis nouæ nuptæ peremptus aribus, & addictus noxio poculo.* qui enim interemptus venenoso poculo, rectius dicere, *inductus* nam quod alij restituere voluerunt *adductus*, ne quidem lectioni vulgatæ æquiualeat. libro decimo De asino similiter dicitur: *nec patiar seruilimendacio inductos peierare.*

fol. 810. *Qui tanto calore, tantæque rabie percussus, non eram dubius aliquid etiam de se suæque coniuge [tristius] profecto cogitaret [aliud.]*

Alterum eorum, quæ includenda curau, reiiciendum autumo: quanquam postremum retineri malim: quod commemnerim, *aliud, alter, alienus, aliter*, poni pro malo, sequi ore, infelici, infausto. qua formula Sallust. dicebat Iugurth. bello: *providere ne quid aliter eueniat.* Itidem auem alteram in auguriis appellatam, quæ utique prospera non esset, tradit Festus. idemque in literas retulit Nonarum. Iduum, Kalendarum posteros dies nuptiis alienos, id est, minus faustos habitos: & Pontificum decreto atro iudicatos. Consulendi eadem de re Gell. Macrobius, & Plutarch. in Quæst. Apuleius lib. i. *Deierâtes, se, e neque ei manus admolituros; & si qui cogitarent aliud; salutare laturos subsidium.* Item viri alij, bonis opponuntur apud Arnobium libro vii.

fol. 823. *Et discerpta coma semicana sordentes inspersu cineris pleramque eius anteuentula contegebant faciem.*

Vox *discerpta*, vereor vt ab Apuleio sit, quem paulo post scripsisse arbitror *pleram*, non *pleramque*, quomodo Sallustium, Linium, Suetonium locutos Germaniæ flos Ianus Palmerius in Spicilegiis suis docuit. item Priscianus lib. v. & Festus in *Plera*. In luctu, de more veterum, caput inspergi cinere solitum, testes sacrae litteræ: & ipse Apuleius libro septimo: *nam mater pueri mortem deplorans filij, fleta, & lachrymosa, fuscæque veste contecta, ambabus manibus trahens cinerosam caniciem, euilans, &c.* Iterum libro decimo de patre loquens, qui altero filiorum humato; alterum, vt

incestum, iudicibus sistere cogebatur: *Et statim, inquit, ab ipso eius rogo senex infelix ora sua recentibus adhuc rigans lacrymis, trahensque cinere sordentem caniciem, foro se festinus immittit.* Riturum illum attrigit Arnobius libro quinto aduersus gentes: *Lugentium (ait) sumunt sordes, & miseriarum insignia.* Virg. lib. x. *Æneid.*

*Canitiem immundo deformat puluere, & ambas
Ad cælum tendit palmas.*

In lætitia, in conuiujs, vitorum pariter, vt fœminatum capillos vngi solitos, ab Apuleio, Cicerone, Virgilio, alijs plerisque veteribus plus centum locis ostenditur. etsi compositi capilli, vincti, & calamistrati indicium fuerint molliciei, vt videre est apud Martialem non vno loco: apud Ciceronem secunda oratione in Catilinam: in ea, quam pro P. Sextio dixit: in ea, quam post reditum habuit in Senatu. In ponenda, vel contra, alenda coma, variaz, tum antiquæ superstitiones veterum, imprimis pro cætera bona corporis valetudine crines alere solitos, testis mihi Censorinus lib. De die natali, in ipso proëmio. quin & in faciendis votis superstitionem hanc quoque obtinuisse historiæ loquuntur. Victi enim ab Lacedæmonijs Argiui, qui criniti antea fuerant, vouerunt, non ante comam alituros: néve mulieres suas aurum laturos, quàm Thyreas recuperassent. è diuerso Lacedæmonij vouere, vt antea non comati, in posterum comati essent. meminit Herodotus libro secundo. Et videre est hoc sæculo, qui eam superstitionem seruent.

fol. 824. *Die sequenti filia eius occurrit è proximo castello, in quod pridie denupserat.*

Scriben. occurrit, & mox, pridem denupserat.

fol. 828. *Matutino me multis oleribus onustam proximam ciuitatem deducere consueuerat dominus. atque ibi venditoribus tradita mercede, dorsum insidens meum, sic ortum redire.*

Non modò permittente, verùm & postulante sententia scribo: *vanditoribus tradita mercede.* eamque coniecturam nostram Luciani verbis corroborari memini, adscriberem, si ad manũ esset.

fol. 841. *Aderant inter alios tres illi fratres, cladibus amici quantulum ferentes auxilium.*

Placeret legi, *quantulum quantulum,* hoc est, *quantulumcunque.* ea phrasi multa efferebant antiqui, maximè iurisperiti nostri, & inter illos Vlpianus, vt qualis qualis: qualiter qualiter, &c. qua de re nos alibi. Alterum huius scriptoris locũ subiiciã, quòd emen-

datione indigere videatur. is lib. vii. De asino: quod si quo modo cesserit latrones persenserint. restituo per geminationem quoque modo. vt in vulgatis quoque codicibus paulo infra, dicto libro legitur: *vt me quoque modo perditum iret.*

fol. 842. *Furiosus a rabie concitus, & latratibus etiam absonis eunt in homines.*

Mihi pro genuino sonat, *in omnes.* nam non hominibus solis canes istos imposuerant, atque inhortati fuerant rustici: sed & iumentis, quæ varia in illo latronum comitatu. Rescribo & lib. xi. *Tota civitati notus, ac conspicuus, digitis omnium, nutibusque notabilis.* vulgatis libris circumfertur hæctenus, *digitis hominum.* quin & libro tertio Floridorum mirum ne eadem via tollendum scripturæ vitium: *ceterum ipsius vocis hominis exercendi casus.* atque scribendum, *omnes.* vel, vt solent antiqui eo casu, *omnis.*

fol. 847. *Iniecta lancea duorum alterum per pectus medium transfadegit.*

Quid si, *transadijt,* scribamus? quo modo in lib. quarto dicitur: *per medium pectus iclu fortissimo iclu fortissimo transfadijt.* Item & lib. octauo: *bestiam transfadijt.*

fol. 848. *Fruere exitio totius nostræ familiae, & sanguine trium fratrum insatiabilis crudelitatem pasce, & de prostratis tuis ciuibus gloriose triumphatum scias. licet priuato suis possessionibus paupere fines vsque proterminaueris, habiturum tamen vicinum aliquem.*

Vide, num mea hæc lectura auribus tuis magis tinniat: *gloriosus triumphator eluas.* vel hæc: *gloriose triumphatum eas.* licet: *priuatus suis pos. pau. fines vsque proterminaueris, habiturus tamen vicinum aliquem.* Profecto illud *habiturum,* vel quod in Parisiens. & Italica editione est, *habiturum te,* meo iudicio mendo non caret. originem vitiatæ scripturæ aliàs indicaui. & vnde euenerit, vt indifferentet scripserint, *us, um: as, am: es, em.* & similia.

fol. 852. *Sed indignatus silentio eius, vt conuitio vite quam tenebat, obtundens eum, dorso meo perturbat.*

Vt vt variant libri, scribemus: *vite, quam tenebat.* itidem pagina sequenti: *muersa vite.* nec auscultabimus eos, qui emendare conati: *muersa vite.* miles enim familiari sibi insolentia rusticum in itinere obuium, vite (quam centurionis insigne esse ad Vegetium docuimus) acriter obrudit. De cetero rescribendum quoque & illud

Illud erat: *dorso meo proturbat*. idemque verbi Apuleio reddendum paulo superius eodem scilicet libro: *nuncium remisit uxori, eamque protinus de sua perturbavit domo*. nam contra pertinacem trium librorum censum non metuo restituere. *proturbavit*. sic apud Plinium pigras & ignavas apes proturbant. Arnobius lib. II. *affectus animis infimos proturbare, pellere*.

fol. 853. *Rursus deprecatur civilis, atque mansuetius versari militonem.*

Corrigendum, ni fallor: *versari militonem*. eò quòd rustici ista deprecatio est. ut miles, item & milito: ut commiles, itidem & commilito bonis auctoribus in usu. Infra eodem hoc libro: *contra militones, ibi, nec vsquam illum delitescere adstantes*.

fol. eod. *Currit à extrema subsimulans querere ad commouendam miserationem genua eius velle contingere: summissus, atque incurvatus, arreptis eius pedibus utrisque sublimem elatum terra gra- uiter applodit.*

Non totidem sibi vulnera intolere hac conflictatione, seu ma- uis luctatione tam strenui gladiatores, quot vna illius narratione Apuleius retulit, non quidem ex ludo gladiatorio, sed ex altero illo correctorum, te iudicem sumo clarissime Metelle, ut agono- thetam, & tecum Criticos primarios, ut decernatis rectene, & ordine fecerim, qui emendari, simulansque è re. de qua formula huic Apuleio, & cæteris bonis familiari, præsertim in rebus sub- itis, perturbatis, supra egimus. Obseruandus mos deprecantium, videlicet contingendi genua. qui & libro sequenti: *atque ibi tum fletu, tum precibus genua etiam de curionum contingens*. Rursus & lib. octauo De asino: *Visisque nobis, cum fletu maximo singulorum iuuenum genua contingens, sic adorabat*. Ennius Pancreat. *cum desubito me orat mulier, lacrymansque ad genua accidit*. Petronius arbiter. *Protendo igitur ad genua vestra supinas manus*. Singulas homini partes Dis sin- gulis tribuebant: aurem Memoria; frontem Genio; dextram Fi- dei; liis alias: cur verò genua Misericordiæ? iam notum, quod mouit quoque Seruius tertio Æneid. Virg. *Observatum scio & alium in deprecando morem, nempe osculandi manus*. Apu- leius libro secundo: *Huius diu manus exosculatis, & ipsa genua con- tingens, miserere ait sacerdos, meminit eiusdem moris iterum idem scriptor libro quatto: Tali inquit sermone puella deterrita, manuque e- tus exosculata, parce inquit mi parens.*

Ouidius:

dam veniat sperata voluptas

A a iij

Oscula dat manibus ———

quos quidem mores hoc nostro auro in usum reuocari videmus. Alterum illum in rebus quoque diuinis, & ritibus antiquorum fuisse, notauit apud Arnobium libro sexto, ubi stupidam illam paganorum superstitionem ille auctor insectatur, atque perstringit his verbis: *Ita enim non videtis spirantia haec signa, quorum plantas, & genera contingitis, & contrectatis orantes.* Obseruatus mihi denique alius ritus, quo utebantur si deos adorarent, nempe aras ipsas amplexandi. Apuleius libro sexto: *Tunc (inquit) genus nixa, & manibus aram tepentem amplexa, detersis ante lachrymis, sic adprecatur.* Virg. quarto Aeneid.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem

Audit omnipotens. ———

Ex quo ritu clara quoque ratio, cur Varro, & Macrobius traderint, aras dictas primitus fuisse, auas.

fol. 862. *Summoque risu de meo prospectu cauillari non desinunt. Vnde etiam de prospectu, & umbra asini natum est frequens prouerbium.*

Alium de umbra asini, atque de prospectu illius adagionem fuisse certum est. illum antiquum fuisse Platonis, Demosthenis, aliorum scripta clamitant: de prospectu asini, ex historia, quam Apuleius hic narrauit, originem traxisse, testis quoque in narratione eadem Lucianus. quapropter adductus sum, ut putarem scribendum, *de prospectu, ut de umbra asini.* tu vide si in hoc loco inductus.

—————
 GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. X. DE ASINO

QVAESTIONES.

God. Ste. Iano Gulielmo.

S. P. D.



TA aiunt, mi Gulielmi, vixisse Melchiorem Hittorpium. quo nuntio dolebis scio, non tam caussa nostra, quam reip. hoc est, litterarum. Scis Theologum fuisse sum-

summum. virum altioris doctrinæ, quàm primo aditu appare-
ret. modestia, pietas, libri, studia, quibus imprimis viri ecclesia-
stici exornantur, hæc apud illum cuiusvis peculij vicem fuere.
Vnus, inquam, ille in Vbiis fautor litterarum, & quantum pote-
rat, promotor. Huius in eruendis, & conseruandis libris vetustis
diligentiam plures nobiscum senserunt, in commodandis verò,
maiorẽ vtroque nostrum facilitatem quemquam vix credo
expertum. Impetrabis spero à Cicerone tuo missionem tantif-
per, dum manibus Hittorpians fauere, atque de quæstionibus
hisce nostris arbitrari possis. Vale. & quod facere strenuè soles,
Stevvechium mutuo amore prosequere.

EDUCERE, perducere, perhau-
rire. Ad hoc. Proferre in coram.
Intrimenta.

Antecantamentum, arcuamentum
lunæ, arcuare. *Apuleius* alibi
emendatus.

Titio. Varro apud Nonium emen.
Arbores fœlices. Ritus nuptia-
rum.

Compectio. de composito. Suetonius
Oclauio correctus.

Vicem alterius esse. Apuleij quin-
que, sex locorum restitutio.

Ascalaphus Acherontis filius in
nocturnam mutatus.

Despectio, dispectatio, dispectio.

Successio hereditatis, tristis, celora-

ta, ordine turbato. *Plautus* apud
Nonium correctus.

Habere parentem, remph. hoc est, ge-
rere. C. pro G. Apuleij locus ali-
bi constitutus.

Lorarij, serui in dominum non tor-
quentur. In speciem. *Vegetius*
correctus.

Flores ferti, rosa soluta. *Serta*. *Mi-
nutius Fœlix* emendatus.

Rosæ sparse in conuiujs, in funere.
Conuiuia coronati, uncti.

Flores, et unguenta usus in pompis
publicis.

Mortui à gentilibus coronati.
Idem ritus Christianis displa-
cuit.

fol. 878. Repertum vini poculum, in quo venenum la-
tebat inclusum, nescius fraudis occultæ, continuo
perduxit haustum.

Leuiter id mutandum credo, & scribendum: continuo perduxit
haustu educere, perducere, antiquis illis & Romanè loquentibus, non
aliud sonabant, quàm nobis ebibere. *Plautus Amphitruone*.

Hirneam, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri.

Apuleius hoc eodem libro: *Grandissimum calicem vno haustu*
perhausi. Versus antiquissimi poetæ, ex quinto lib. *Arnobij* huc
accerere visum est:

Inde manu poculum sumit, visuque sequenti

Perducit totum Cyceonis leta liquorem.

fol. 879. *Adhuc uxoris dilectæ nimium mentitis lamentationibus ad extremum sobolis impellebatur odium.*

Transcendi parricula, ad hoc, mea opinione hic olim stetit. vide si volente scriptore mox coner legere: nimirum ementitis lamentationibus, qualiter fletus emeditatos supra nuncupabat libro secundo.

fol. 884. *Quibus autem verbis accusator vexauerit, quibus rebus diluerit reus.*

Proba haud dubiè aliorum correctio: accusator inuexerit. in causam inuehi Ciceronianis notum est. Præterea ex ipso Apuleio id constat, huius causæ patronis per præconem denuntiatum fuisse, neque principio vterentur, neque commouendis affectibus operam darent. quod ipsum causæ est quapropter reponendum quoque putem: quibus rationibus diluerit reus.

fol. 891. *Pecuniam iussi de meis aliquem, curriculo taberna promptam, adferre, & en ecce prolatam coram exhibeo.*

Scriben. prolatam in coram. sed de hac phrasi satis iam, superque. nam & eadem hac pagina iterum restituendam suadeo.

fol. 901. *Alter coquus, qui sapidissimis nutrimentis succum.*

Tam mihi certum est scripsisse auctorem *intrimentis*, quam meridie lucere. Sed & paucis insertis, verba præcedentia ita habebant: *alioquum alter pistordulciarius. vbi pistor glossima putauit, & quidem purum putum. Piscatores, aucupes, dulcarios, linteones, &c. longè à castris pellendos censuit Vegetius lib. 1. cap. vii.* quo loco videndus noster Commentarius. & Festus, in Coquum. Quod ad intrimenta illa, *interendi* verbum nemini cognitum. sed supersunt tamen multa in hoc scriptore eius generis, non omnibus perspecta. sic enim illo libro vndecimo format: *antecarizamenta, velamenta, scitamenta, miramenta, opinamenta.* Itidem aliqua quædam, quæ non procul ab hoc paradigmate recedunt, ut *coronamen, ornamen*, alia sexcenta. Eruo ex eodem fonte, seu potius eligo, quod adhuc in omnibus Apuleij editionibus maculosum est, de, *Isidis forma, dicto libro xi. Cuius media quidem super frontem planâ rotunditæ in modum speculi, vel imo argumentum lune candidè lumen emicabat. scribo, arcuamentum lune, arcuadi verbum Plinio,*

aliisque

aliisque vſitatum eſt, ſi lubet vide Nonium in *arquatus*, in *arcus*.
Ouidij verſus de Iſidis pompa ex Metamor. adſcribendi ſunt:

———— *inerant lunaria fronti*

Cornua, um ſpicis nitido fulgentibus auro.

Eodem pertinet hoc Fulgentij ex primo Mythologiarum, vbi
ait: *diadema carbunculis corniculata ſinuatio deprimebat.*

fol. 938. *Titione candenti inter media ſœmina detrufo,
crudeliſſimè necauit.*

Itidem locutus libro ſeptimo de aſino: *procurrit ad focum, arden-
temque titionem gerens medijs inguinibus obrudit.* aliàs abſolutè, &
nomine adiectitio nullo ſuperaddito vſurparunt nomen *titio*. id-
que interpretati Grammatici ſuſtem ardentem. Nonius in *Titio-
nem*. quin & ipſemet Apuleius ad eam formam vritur dicto li-
bro ſeptimo: *ſœtore*, inquit *tandem fugata eſt à me pernicijs, ceterum
Titione delirantis Althea Meleager aſinus interiſſet.* Varronis fra-
gmentum ex Nonio adducam, quod apud eum in *Titionem*, &
iterum in *Felix*, laudatur ex libro ſecundo de vita populi Roma-
ni: *Contra nouo marito cum item è foca in titione ex ſœlici arbore & in
quali aqua allata eſſet.* Vtrobique apud Nonium eruditiffimus Ha-
drianus Iunius & alterum Batauiæ noſtræ decus reſpoſuit, & in
aquali aqua addiderim, legendum paulò antè *è foco titio*. vel ſi ve-
ſtigijs inſitendum ſcripturæ vulgatæ: *cum è foco titionem ex ſœlici
arbore, & in aquali aquam attuliſſent.* Nunc cur nouum maritum
omen captare voluerint ex arbore ſœlici, cauſam habuere præ-
oculis liberorum genituram. auctor enim Caro apud Feſtum,
ſœlices dictas arbores, quæ fructum ferrent: quæ non ferrent,
inſœlices. qua de re Macrob. lib. III. & Plinius lib. XVI. c. XXVII.
Etiam faces in nuptiis quinque accenſæ, quòd vnico partu ge-
minos quinque gignere mulier poſſet, vt auctor Plutarch. in
Problematis.

fol. eod. *Quo conſpectu ſimulatur neceſſaria præcordiis
lemiendis, bilique ſubtrahenda illa prænobilis po-
tio, quam ſacram doctores nominant.*

Emerat à medico vxor nequiſſima venenum momentarium,
interimendo marito, ſeſtertijs quinquaginta: quo tamen ægro-
tum facilius inducerent, aliud de induſtria, potioni nomen indi-
tum. iccirco emendo ſuperiora: *Quo compecto*. dicimus enim Latine
compacto, ex compacto ſeu more antiquo, compectò ali-
quid agere: Gallis eſt, *par complot*, *par composition*. qua phraſi Liniũ,
Terentium, Plinium, optimum quemque vſum non eſt rãri oſtẽ-
dere. Suetonium Auguſto, cap. XV. *Cõpcto* (inquit) *eum ad arma iſſe.*

ita enim istic lego, reclamante Turnebo, ac dissentiente Torren-
tio in cuius libris m.ferat modò, *ex proposito*; modò è *conspectus*;
modò *ex consulto*. vnde prædictam emendationem faciliè odorari
licet. ab eodem fonte quoque nomen Depectionis: quod pro pa-
cto poni monuit clarissimus Iacobus Cuiacius libro secundo
Obferuat. cap. xv.

fol. 939. *Sed in eius vice subditur alia Proserpina sa-
cra saluti.*

Reddenda auctori ipsa sua germana locutio: *sed eius vicem sub-
ditur alia*. nam infra lib. proximè sequenti ait: *ad humerum læuum
recurrens, vmbonis vicem deiecta*. Proinde idem Apuleius locutus
libro octauo: *Pastores, qui nos agebant, speciem prælij manus abarma-
uerant*. neque enim adsentio iis, qui ad oram libri ediderunt, tan-
quam emendaturi, *in speciem*. Pomponius Macco milite:
Nam iitaria vicem duorum solum me comesse concedet. Libro sexto A-
puleij idem mendè adhæsisse video. eòque vocolam includam
adscitam, & malè insitam hætenus: *Si qua nunc terris puella præpol-
let pulchritudine præsentis beneficij vicem [per] eam mihi repensare se
debere*. Similiter emaculandum existimo lib. octauo extremo.
foemur eius appone domino ceruini vice. Nequissimo verberoni sua pla-
cuit *salus*. scribo, *vicem*. Rursum libro septimo phrasin istam cor-
ruptam animaduerti his verbis: *Donec fomenti vice me plaga susci-
tarent*. repono, *fomenti vicem me plaga susc.* Pariter & libro vnde-
cimo: *instar solis exornato. & in vicem simulachri constituto*. scribo, &
vicem. Iterum primo Floridorum: *supernè sese ruat fulminis vice*.
legendum, *fulminis vicem*. Itidem & libro Apuleij de Deo Socra-
tis restituo: *Aulas emulas urbium conditas, domos vicem templorum
exornatas*. Redeo ad superiora illa: *Sed eius vicem subditur alia Pro-
serpina sacra saluti*. Sacræ potionis locum subiisse ait illam in qua
præsentaneum exitium, veneficiumque. nescio legi ne possit:
Proserpina sacra aliti. atque interpretari de Ascalapho Acheron-
tis & Orphnes Auernalis nymphæ filio, quem Proserpina muta-
uit in bubonem, noctis auem, & tristium rerum nuntiam. de quo
consulendus Ouidius v. Metamorph.

fol. eod. *Qua mira desperatione truculenta foemina re-
pentè perturbatus medicus.*

Reponere conabar, *despektione*, vel quod proprius esset ad le-
ctionem vulgatam *despektione*. Vtus utroque M. Tullius pro *con-
temptu*. quæ clariorè hic efficerent sententiã. nã desperationis vo-

cabulū in scholis, aut officinis suppositū esse non dubito, vt magis tritum. Tandem conuenientius rei fore censui *dispectione*. propter tam subitaneum, & sagax mulieris commentum, quæ medicum suo sibi veneno vitam eripere cogeret, postquam illius & opera, & veneno iam satis vsa esset.

fol. 945. *Ergo certa defunctorum liberorum matres sceleratas hereditates excipere.*

Eam successionem, qua mater liberorum bona consequebatur ex Senatusconsulto Tertulliano; eam, inquam, Iureconsulti nostri vocarunt *tristem*. Instituti de S. C. Tertul. similiter nuncuparunt eam alij *luctuosam*: l. vlt. C. de institutionibus. idque propter ordinem mortalitatis turbatum. l. nam et si. ff. de inofficioso testamento. & malè iudicantibus fati; quemadmodum Horatius cecinit. quare tollo vitium ex verbis Apuleij quod enatum ex litteræ S. C. inconsiderata iteratione, ac scribo: *matres celeratas here. excipere*. Idem mendum suprâ libro quinto, & ex eadem occasione: *Nec secius & ipsa fallacia germanitatis inducitur, & in sororis sceleratas nuptias emula festinavit ad scopulum*. non queunt profectò nuptiæ cum sororis marito aliæ esse, quàm sceleratæ. scribo, *celeratas*. ex Plauti Cornicularia, fragmentum Nonius adfert in *Lauerna*, in quo par mendum ex pari origine: *Litaueram Lauernam in fures sceleratis manus. legerim*

————— *litaueram*

Lauerna, mihi vt fures celeratis manus.

Horatij illud non abfimile ex lib. i. epist.

————— *pulcra Lauerna*

Da mihi fallere, da sanctum, iustumque videri.

Verùm ad successionem illam vt reuertamur *celeratam*, obuia passim inscriptiones antiquæ monumentorum, in quibus & dolores, & querelæ parentum expressæ. alibi: *infelicissimus pater insperatos tumulos dedit*: alibi: *infeliciss. parens afflictus præposteritate nat. filium vnicum condidit*. alibi: *infelix fatum. prior diebus mori mater*. alibi: *quod fas parenti facere debuit filius, mors immatura fecit, vt faceret parens*. Perelegans inscriptio Moguntina, quam præterire non potuit:

L. Sperati Desiderati adulescentis Spei & pietatis incomparabilis Sperati Hermodorus & Iuliana patres malè iudicantibus factis superstites posuerunt.

Alia apud me inscriptio, quae excerpta ex vna argentea Papi-
niani Iur. Conf. Romae eruta. quam facere non possum quin
adscribam:

ÆMILIO PAULO PAPINIANO

PRAEFECTO PRAETORIO

IVRISCONSULTO.

QVI VIXIT ANN. XXXVI.

DIEB. X. MENSIB. III.

PAPINIANVS HOSTILIVS

EVGENIA GRACILIS. TVR

BATO ORDINE IN SENIO

HEV PARENTES FECERVNT

FILIO OPTIMO.

fol. eod. *Talem parentem praebuit, qualem habuerat
uxorem,*

Mutarunt in editionibus (ni fallor) ab interprete inducti, ex-
hibuerat uxorem. mihi tamen, lectionem priorem sinceram esse,
iam fixum est. eò quòd, habere, scio in ore fuisse, pro gerere. Sallu-
stius: *Instituta domi, militiæque. quo more temp. habuerint, quantam-
que reliquerint.* Idem lib. III. Histor. *Gerant, habeantque suo modo
imperia.*

fol. cod. *Sed paruula quidem tenuem spiritum, & de-
licata, ac tenera praecordia conficit protinus vir-
tus infestum.*

Legere conabar configit. & similem errorem adimebam Apu-
lcio in libro De philosophia: *ita enim dixerim, quae non extinguit in-
citamenta irarum, sed ea stupore defigit immobili,* malè haec tenus vul-
gatos codices insedit: *Stupore deficit immobili.*

fol. 946. *Confestim cubicularis mulier attractis, vi
tormentorum veritatem eruit. atque illam
minus quidem quàm crebatur, sed quod
dignus cruciatus alius excogitari non po-
terat, certè bestiis obijciendam pronunciauit.*

Prouinciæ praeses, apud quem beneficij accusata matrona, nò
à seruis illius, quorum caussa nulla agebatur; sed ab ipsa muliere
fonte veritatem extorquere debuit. eamque arcessendam prius,
quàm tormentis subiiciendam curare. quare corrigendū subdu-
bitaui: *confestim à lorariis muliere attracta.* Parisienses vulgarit: *conf.*

cubiculariis mulieris attractis. quod probare vix ausim propterea, quòd serui delatores dominorum non fuerint auditi. l. ex quibusdam. ff. de iure fisci. Tum quòd iidem in caput domini torqueri non potuerint. Cicero in ea, quam pro Milone habuit: *de seruis, inquit, nulla quaestio in dominum.* Idem pro Deiotaro: *Mores matrum de seruo in dominum ne tormentis quidem quaeri licet.* Accedit insuper & Ulpianus in l. prima. ff. de quaestionibus.

fol. 955. *Insequitur puella vultu honesta in dea lunonis speciem [similis] nam caput, & c.*

Probare nequeo emendationem eorum qui scribunt *specie*. nam abiecto glossmate, *similis*, quam vocem Apuleij non esse tam scio, quàm me viuere, bene hoc loco erit Apuleio. Vegetius lib. 1. cap. vii. *quoniam non improbabiles videantur in speciem, tamen experimentis comprobantur indigni.* ita enim istic edendum debui curare, vnum veterem codicem sequutus, etsi reliquis sex, septè reclamantibus. vt ostendam aliàs, cum pluribus de isto loquendi modo, agendum erit.

fol. 963. *Tibicen in modum tubæ saltationis agilis vigorem scitebat.*

In editione Paris. incitati suasu Beroaldi, restituere, *vigore suscitabat.* tu lege meo periculo, *vigorem citabas:* vel si mauis, *ciebat.* Similiter enim optimi quique alia frequentant, *ciere bellum, arma pugnam.* Virgilius Iexto Aeneid.

— quo non praestantior alter.

Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.

fol. eod. *Hinc Gratiae gratissima, inde Hora pulcherrime, qua iaculis floris fertis, & soluti deam suam propitiantes, scitissimum construxerunt chorum.*

Eum locum quare ab initio suspectum habuerim, quilibet facile capiat. de multis coniecturis hanc priuam huic destinare visum est: *quaqua, vel si tibi placet: quaeque iactis floris fertis, & solutis deam suam propitiantes.* Cum libris antiquioribus destituimur, expeditissimam confirmandis coniecturis rationem arbitror, ipsius scriptoris, in quo versamur, auctoritate, & consuetudine niti. Apuleius libro quarto: *Iamque per plateas commeantem populi floris fertis* (perperam in libris editur certis) & *solutis adprecantur.* Et bene est, quòd pluries hoc genere loquendi vsus hic auctor. Suprà libro secundo: *Et ecce Fosis mea iam domina cubi-*

enim reddita, proximat rosa ferta, & soluta in sinu tuberante. Erunt iidem pro testimonio luculento hæc Minutij Felicis in Octauio, quibus ritum paganorum ridet, Christianorum verò extollit. Quis autem ille, inquit, qui dubitat vernis nos indulgere floribus, cum capiamus (malo carpamus) & rosam veris & lilium, & quidquid aliud in floribus blandi coloris, & odoris est? his enim & sparsis nitimur (lego exsparsis nitimur) mollibus, ac solutis; & fertis colla completimur. Flores fertos nuncuparunt, qui in coronamenta contexti erant. Serta plerique vocarunt, quæ Varro à serie format. Quidius:

Inter plena meri redimitus pocula fertis.

Exstant hodiè que non illepidi versus Apuleij de fertis, in prima Apologia sua. Rosis, floribus conuiuas prospergi solere, capita, & pocula quoque reuinciri, cognitum est vel ex solo Apuleij libro secundo. vt Suetonium, Plinium, Virgilium, alios complures mittam. Etiam in Silicerniis, & anniuersariis celebrandis, rosas, & omne genus florum in tumulum exspergebant. idque supremo iudicio suo domesticis quosdam iniunxisse clamant antiqui lapides, inter eos hic, in quo, legato condicio adiicitur:

Vt Quotannis Rosas Ad

Monumentum Eius Deferant.

Coronatos autem conuiuas olim accubuisse, item vnguentatos, ab ipso Apuleio quoque docemur lib. III. *ad huc vnguentis madidum, coronis floridum.* Coronæ porrò quales, & quare, & qua parte corporis conuiuis adhibitæ, docet nos Athenæus lib. xv. cap. v. cum sequentibus. Idè inque de vinctura antiquorum latè differit lib. dicto, cap. XIII. & cap. XVIII. vt & Suetonij locus ea de re obseruatu dignus, in vita Neronis, cap. xxvi. Vt qui quoque paganis fuère tam flores, quàm vnguenta in pompis publicis & supplicamentis, testante identidem Apuleio lib. vndecimo, in festo, quod annuè, & quidem æterna religione, in honorem Iſidis celebrabant: *Ille etiam, inquit, quæ ceteris vnguentis, & gentili balsamo guttatim excusso conspergebant plateas.* Ibidè paucis lineis intercurrentibus: *Mulieres candido splendentes amicamine, vario letantes gestamine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quæ sacer incedebat comitatus, solum sternebant flosculis.* Paganos verò caput coronatos fuisse, eumque honorem & mortuis habuisse, tum vtrumque à Christianis improbatum, dum hic sumus, libenter, & vt mihi videtur, non incommodè declaraturus sum. Collo, non cerebro illos coronas amasse, iam liquidum ex Minutij testimonio præmisso. addam alterum eiusdem ex eodem

Octauio,

Octauio, ex quo etiam præter ea, quæ adserere voluimus, vnguentis pariter fideles abstinuiffe conuincitur, verba Cæcilij Notalis pagani ita se habent: *Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honestatis, reseruat, vnguem funeribus; coronas etiam sepulchris denegatis, pallidi, trepidi, misericordia digni, sed nostrorum deorum.* Cui obiectioni, operæ precium erit audire, quæ Octavius respondit: *Sanè quod caput (inquit) non coronamus, ignoscite. auram boni floris naribus ducere, non occipitio. capillisue solemus haurire. Nec mortuos coronamus. ego vos in hoc maxime miror. quemadmodum tribuatis ex animi, aut sentienti facem, aut non sentienti coronam: cum & beatus non egeat, & miser non gaudeat floribus. At nos exequias adoramus! eadem tranquillitate, qua viuimus, nec adnectimus arefcentem coronam, sed à Deo æternis floribus viuidam sustinemus.*

GODESCALCI STEVVE-

CHI IN L. APVLEII

LIB. XI. DE ASINO

QVAESTIONES.

God. Ste. Gabrieli Rolandio I. C.

S. D. P.

HT quidem meritò, suauissime Rolandi, scriptis meis examinandis eos adhibeo quos amicissimos, quos fidelissimos cognoui. neque enim, vt maliuolorum detestationes facile sperno, proinde & beniuolorum iudicia auctoritate, siue veritate priuandum censeo. enim non minus iudicant, qui benignè, quàm qui malignè legunt. A Estum meum (quod potes) in his paucis explica, & quod commodo tuo fiat, ad hæc iudicia animo tamen serio paulisper descende. In primis id tibi fixum, ac persuasum habens, si aliquanta ex his improbaris; tum demum crediturum me, cætera quæ superabunt, ea te iudicio tuo probasse, seu malis, beasse. Parenti tuo, & Gasparo Schuermannno, iam quoque nostro, ex animo salutem. Vale, & cum occasio te offeret, valere te rescribe.

- Dios vultus, die, & dy, pro diei.** *Suppetit mihi, suppeditat mihi, pro miscuè olim dicebant.*
facile pro faciei. Inuisus.
- Dicere, dicta ducum. Tibiarum signa Antecantamenta.** *Vinere vitam B I. pro I. Apulei duæ macula sublata.*
- Continuari. continuare. Apuleius & Festus emendati.** *Indeicia. Comptire. Arnobio id verbum restitutum.*
- Circumsecus utrinque secus. forinsecus. altrinsecus.** *Demorari D. pro T. Partim sine iteratione vsitatum. Budæ error.*
- Votum, in velo navis expressum.** *Suetonio glossema ademptum. Equis. Qui, pro, Cui.*
- FAVETE ore. sane e linguis.**

fol. 993. *Et ecce pelago medio venerandos dys. & vultus attollens.*

Emendare conati alij: *diis etiam. metuo, & formido male, ne reponere debuerint: venerandos, & dios vultus attollens. testimonia Virgil. Horatij, aliorum adderem, sed pueris sat nota.*

fol. 1002. *Nominant aly Bellonam, aly Hecaten, Rhamusiam aly. & qui nascentis dei solis inchoantibus illustrantur radijs Aethiopes.*

Dicta hæc de magna matre Deum, cui cæca illa antiquitas & infidelitas Barbara varia sacrificia exhibuit, varia indidit nomina. Putarunt alij legendum, *nascentis diei*, mihi litteram transponere placet, & scribere, *nascentis die*. etenim *dies, die, vel dy, vel dies: facies, facie; pro, diei, faciei*, genendi casu olim declinasse, testes mihi Grammatici. Charisius lib. primo Institutionum Grammat. & Agellius lib. 1 x. Noctium cap. xiv. Virgilius:

Libra dy, somnique pares ubi fecerit horas.

Itidem apud Plautum Aulularia repertum, *fide, pro fidei.*

fol. 1013. *Sic oraculi venerabilis sine prolato, numen in-nictum in se processit.*

Subdubito in autographis fuisse, *nume inuisum*. Apuleius lib. quinto: *quidam introcessit, & cætauit inuisus, & alius cithara pulsaus, quæ videbatur nec ipsa. Itidem Cicero in Orationibus: occulta, & maribus inuisa sacra dixit.*

fol. 1023. *Carmen venustum iterantes, quod Camenariu fauore solers poëta modulatus edixerat, quod argumentum referebat.*

Primum

Primum suspicor *dixerat* auctorem scripsisse quo more nuncupabatur dicta ducum. dictata in ludo de quibus nos, ex Varro- nis doctrina, ad Vegetium. quæ porro subduntur, *quod argumen- tum referebat.* ea ab litteratore, aut sciolo adsuta videntur, volente nimirum indicare munus Chori in scæna, & ludis, quo de hic agitur. quanquam hanc meam sententiam dictam volo manu suspensa. De eo tamen quod sequitur liberius paullo positurus calculum.

fol. eod. *Interim maiorum antecantamenta votorum. Ibant & dicati magno Serapi tibicines. qui per obliquum calamum, ad aurem porrectum dexteram.*

Hæc corruptissima esse nemo dubitavit. nos observata primitum tibiaturum figura, corrigemus: *Inter maiorum antecantamentæ votorum ibant, & dicati, &c.*

fol. 1042. *Comitare pompam de æsospitatrixis in orienti gradu.*

Solens huic nostro pro eo aliàs, *continuarè.* supra hoc eodem libro; *alacer*, inquit, *continuarè pompam meam.* Idem idem & libro primo: *inde me commodum egredientem continuatur Pylthias.* Infra eodem lib. atque eum cubiculo suo *commodum egredientem continuatus, saluto.* Rursum & sexto de asino: *Iamquæ confecta bona parsè inortifera viæ, continuaveris claudum asinum lignorum gerulum, cum agasone simili. vbi scriberem continuaberis. nisi comperissem continuo & continuo æquè bonis scriptoribus placuisse.* Silenna vi. Historiarum: *Marius ostio Liris euehitur, atque suos continuare iubet.* Hac phrasè Varro dixit: *bones continuare clunes, vt lupum arceant.* & Sallustius Coniurat. *ipso binas, aut amplius domos continuare.* Festus: *striges, ordines rerum inter se continuatè collocatarum. ita enim ibi legem. pro coniunctè, alibi monui.*

fol. 1047. *Nauem faberrimè factam picturis miris circumseptus variegatam.*

Mirari satis nequeo; id ita in Parisien. atque aded, Beroaldina quoque editione inemendatum relictum. Certius nihil est, quàm probè correctum iri hac coniectura: *circumsecus variegatam.* quod dictum ea compositione qua libro secundo de asino, & locis plus decem apud illum ipsam auctorem *utrimque secus,* quod valet, *ab utroque latere. vt, circumsecus;* vndique ab omni parte. sic idem alibi format, *forinsecus, utrimque laterum. altrinsecus adium.* Quinimo apud eundem lib. secundo in omnibus editis le-

gitur: *Cum etiã nos omnes circumsecus adstantes, in clarũ cathinnũ vide-
ret effusos. Iterũ libro quinto: multi coloni, quiq; circũsecus venantur.*

fol. cod. *Huius alvei fœlicis nitens carbasus lintea vo-
tum ingestans progerebat. Ecce litteræ votum in-
staurabant de noui commeatus prospera naviga-
tione.*

Navis descriptio est, quam sacerdos in ipsa maris ripa populo
præsente Isidi deæ nuncupabat, dedicabat. pro, *lintea*. vidi alios re-
posuisse, *litere*. nescio an scribi debeat *luthea*. forte abesse malis v-
trũque. reliqua Apuleij de voto intelligẽda in ipso carbaso navis
expresso. quod quidem non aliter, quàm literis fieri potuisse, aut
consuesse palam est. Cõmentariũ nuper ad Vegetiũ publicavi, in
quo navis tota, & in ipsius velo expressum literis votum. Dignus
hic locus Apuleij, qui à viris doctis expendatur. ego illum tenta-
ui constituere: *votum iniestans procedebat. ecce è litore votum instaura-
bant, de noui commeatus prospera navigatione.* quod ad circumstan-
tem populi coronam traho, qui soluta iam nauis, secutus sacerdo-
tis verba facta vota præfantis, omina prospera & fœlicia adpre-
catus est. solet enim in rebus diuinis, à præcone populo indici,
FAVETE LINGVIS. vel hac formula, ORE FAVETE. quo nun-
tiabatur vniuersis illis, qui aderant, omina bona loquerentur. vt
docemur à Festo, & Nonio Marcello in Omen. & his Ouidii
versibus lib. vii. Metamorph.

————— pro te fortissime vota

*Publica suscipimus. Bacchi tibi suscipimus haustus. Consonat adsen-
su populi precibusque fauentum*

Regi. —————

Ritum illum Apuleius respexit, cum auditoribus, quibus librum
de Deo Socratis recitaturus erat, prædixit, *hac verò talia erunt qua-
lia vos illi fauendo feceritis.*

fol. 1053. *Oblationes honestas equi, bonique facio quippe
cum mihi ad familiares, quoad cultum, sumptumque
largiter succederet, deferre perspicuè curassent.*

Dissentio ab editionibus, vbi præpositionem ad abiectam vidi
reliquis intactis. quid si reposuerimus sic? *cum mihi id familiares,
quod ad cultum, sumptumque largiter suppeteret deferre percurassent, nisi
fortè magis arideat, suppeditaret.* quod eadem notione accipien-
dum. reperias apud scriptorem hunc non semel: in prius libro
septimo: *presidium fuge, quò facilius frustrati insecutoribus abderet se-
se, eidem facile suppeditasse.* Iterum libro nominato: *Et hercules dice-
rem,*

rem si loquendi copia suppedigaret. Itidem scribere voluerunt lib. tertio medela supediat. lego, suppeditat. itidem & poeta Lucilius:

Pistricem validam, si nummi suppediabant

Addas empleuron.

Cōtra videbis vsū Pliniū libro nono, epist. II. de M. Tullio Cicerone loquētē: *Illi enim & copiosissimū ingenium, & par ingenio materia, quam tam varietas rerum, quam magnitudo largissime suppetebat.*

fol. 1057. *Cautoque circumspēctū vitam, quæ multis casibus subiacet esse veniendam.*

Eam lectionem mordicus retinuit Beroal. contra Parisiensibus placuit edere, esse muniendam. persisto in eo, quod ad Vegetiū docui, legendum, esse viuendam. Plautus Perfa: *modicè & molestiè melius est vitam vivere.* Occasionem mendii inde esse dixi, quod antiqui scripsissent *veinendam*. quo modo illi pleraq; alia, vt pinguius verba sonarent, exarabant. manauit ex eadem librationum seu incuria seu incirtia magnus quoque error libro proximè præcedenti: *Color deæ visus in speciem, corpus candidum, quod cælo demeat: amictus carulus, & c.* off. ndit viros bonos membranarum scriptio: *deiuus*, pro, *diuisus*. quare ind. fabricauerunt quod proximum erat *deæ visus*. Reperiuntur similia sexcenta in nummis, & lapidibus antiquis. vt, *eidus*, *Serueilus*, *leiberias*. pro, *idus*, *Seruilus*, *libertas*. Emendandum video hoc Apuleij libro primo de asino: *inicta*, atque obdita parte funiculi; & altera firmiter in nodum coacta, ascensu grabatulo ad exitium sublimatus, & misso capite laqueum induo. emendandum, inquam, *sublimatus*, eimisso capite.

fol. 1064. *Sed noctis obscuræ, non obscuris imperiis euidenter monuit aduenisse mihi diem semper optabilem, quo me maximi voti competeret.*

Homines librariorum nosti, qui cū in autographo inuenissent, obscuris indeicis. perpetua lege, id est consuetudine inueterata vsu deinceps verborum Plautinum reuoco, cuius hic noster imitator ferè adsiduus: *quo me maximi voti computeret.* quod denotat, *computem* faceret. Computire hac significatione apud Plautum bis in Rudente. Arnobius libro tertio aduersus gentes, de Mercurio differens (vt opinio, & Coniectura nostra fert) plagam à descriptoribus accepit: *Cur, ait, vnus in officio presidatus hos victoria computes; alios verò perpetiur ignominiosa infirmitate rideri.* malum enim legeretur, *computit*.

fol. cod. *Et quid inquit iam nunc stas ociosus, atq; ipsū demoraris.*

Corrige meo suasu, atque ipsum te moraris. commemorari quidem auctorem hunc libro septimo dicere: *plusculis diebus ibidem demoratus* nihilominus tamen id verbi hic visum, nondum persuaderi mihi potuit.

fol. 1068. *Et protinus gnaviter, & aliquanto liberalius, partim ipse, partim per meos socios coemenda procuro.*

Idis deæ sacris mox inaugurandum Lucium, ipsummet huc illuc discurrisse ad conquirendum, comparandum, quæ ad tele-tæ, & expiationis usum sacerdos summus requisierat, vix mihi fit verosimile. eoque subdubitare cœpi, essent ne à sciolo adhibita, inuita Apuleio illa [*partim ipse*] qui existimaret particulam *partim*, sine iteratione consistere non posse. quæ res in errorem quoque pellexit magnum Gallia virum in emendatione legis Pandectarum. Semper autem à Iureconsultis quoque hanc quasi dialysim non seruatam testatur textus instit. De testamen. ordinandis: §. sed illa. quod verò per as, & libram fiebat, licet diutius permanserit, attamen *partim* & hoc in usu esse desit. Sed prædicta quidem nomina, &c. Idemque obuium in constitutionibus Imperialibus non vno loco. Similiter & Ciceronem vsurpare memini: *partim ex illis distracti, & dissipati iacent. qui verò ex his, & omnium scelerum principes fuerunt.* lib. II. de legibus. Itidem lib. I. Officiorum. Item & in Verrem: *Statuæ in locis, inquit, publicis posita, partim etiam in ædibus.*

Lucretius:

Et partim plano scatere, atque erumpere campo.

Quin ipsum potius Apuleij testimonium proferamus, Sallustij, & reliquorum prætermisiss. libro septimo de asino: *cuncti denique, & prorsus omnes sepulti iacebant, partim parati mori.* Similiter ac voce vsus prima Apologia sua: & apol. secunda. Suetonius Augusto. ca. XLIX. *partim in verbis, partim in sui custodiam.* animaduersum in duobus codicibus membranceis abesse illa, *partim in urbis, minor vel retinere, vel mutare alios voluisse in urbis partim, partim in s. c.* Liquidum certè ex præcedentibus, istiusmodi emblemato Suetonium facile cariturum.

fol. 1082. *Summo studio percunctabar singulos, & qui vestigium similis, ut somnium, nec fides absuit.*

Observandus erat Lucio in ordine sacratorum similis, qualem illi visio nocturna proposuerat, ac designarat. hoc est, cunctabundo gressu iacédés, & in pedis sinistri talo paululum reflexo. hinc credes,

credes, nisi valde erro: præcedentia probè à me restitui. *perscrutabar singulos eccui vestigium simile sit, nec fides absuit. quæ inferuntur [ut somnium] ea ab aliena manu esse mihi persuasissimum est. adhibeo vt & tibi persuadere valeam subsequeantia ipsius auctoris, quæ stabiliendæ coniecturæ arbitror: nec fides absuit. nam de Pastophoris unum conspexi statim præter indicium pedis, cætero etiam stans, æque habitu, ex amussim nocturnæ imagini congruentem.*



GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. I. FLORIDORVM

QVÆSTIONES.

God. Ste. Rogero, Ioanni, & Ioanni I. F. Outheuf-
danis, cognatis suis, adolescentibus
nobilibus S.

IN studia litterarum gnauiter vos incumbere, cum magna animi voluptate intellexi: mirè enim cupio vos ab iis differre, ac dissentire, qui in domo paterna nihil pulchrum, nisi imagines maiorum suspiciunt. Si possem libens merito, coram, & quidem sapius hac de re vobiscum agerem; limam scriptis vestris, moribus me normam præberem. nunc, cum aliter non possumus munusculum hoc meum æquo animo accipite, spem verò parentum, expectationem meam ne fallite. enim eo loci constituti, vbi duces studiorum morum correctores non defunt. Fortunas vestras aliis etiam atque etiam curæ esse non ignoro, quare meum erit id tantum operam dare, vt in vos ornamenta omnia à me proficiscantur. sed ita tamen, si promereamini. Notas has libros quatuor Floridorum L. Apuleij cupio vos legere, & quid rerum agatis, sapius, quàm adhuc fecistis, me facere certiozem. Valete.

SEPIMEN. Referare, conserare.

Bb iij

Simulachra Deum olim ungui solita. Arnobij mendum sublatum.

Unguen, unctum, unctulum, unctiusculum.

Totus, p. o. omnis. Inoculare arbores Alexander Magnus, fortunatis-

sinus. Curtius emend. Quippini- quidnt.

Libitinary, vespillones, tristoires.

Confirmata emendatio Anton. Augustini ff. de instit. actione.

Liudi Illico ut lectum est.

fol. 3. *Vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis unguine delibutus.*

Omnia hæc de superstitione paganorum, & idolis eorundem accipienda sunt. nihilominus vno loco correctionis lima indigent. quæro, an genuinum sit: *colliculus sepimine consecratus*, vel quod malim *conseratus*. nam ut in subsequenibus dolamen, libamen, & unguen ad formam, item hic sepimen cuius munus includendo, non in consecrando positum. Extremum illud, de lapide dictum, ad simulachra traho, quæ inungere illi soliti. quæ de re etsi nos alibi, testimoniis tamen ea antiquitas illustranda est. in primis Arnobij ex primo aduersus gentes: *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex oliui unguine ordinatum* (corrigo exornatum) *tanquam inesset vis presens adulabar, affabar, & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco.* Item Minutij Felicis: *ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere effigiatos sanè, & unctos, & coronatos.* Apuleij locus nequaquam mihi prætereundus, is in prima Apol. *negat vidisse se, qui fuere, unum saltem in finibus eius aut lapidem unctum, aut ramum coronatum.* Ut in præfens unguen, itidem alibi hic auctor cum Plauto, & aliis usurpat, *unctum, unctulum, & unctiusculum.*

fol. 4. *Aquila nutu elementi leuorsum, vel dextrorsum tanta mole corporis labitur, velificatas alas, quo libuit aduertens.*

Scribo, *tota mole corporis*. namque libenter totus, pro omnis hic collocare solet. lib. vii. de asino: *& tunc quidem totarum mulierum secta, moresque de asini pendebant iudicio.* Simile & lib. iii. de asino: *totasque artes, manus, machinas omnes ardentem exercet.* Simile apud Minutium Felicem: *plures totis hominibus Deos haberemus.*

fol. 7. *Periti non propaganda vitis, nec incolenda arboris, nec proscindendi soli.*

Emaculo, *inoculanda arboris.* Arbores inoculare, quod significat inferere Plinio, Columellæ quoque in usu fuit.

fol. 8. *Solusque sine amulo clarus. adeo, ut nemo audea*
virtute

virtute eius, vel sperare fortunam, vel optare.

Redigo in ordinem, quæ nimium dissipata sunt. adeo ut nemo audeat virtutem eius vel sperare, vel fortunam optare. Alexandro Magno data ista laus. sed cum à Q. Curtio Ruto simile omnino *ἐπιτιμήσιον* eidem tributum viderim, verba adscribere placuit. *Fatendum est tamen, cum plurimum viriuti debuerit, plus debuisse fortune, quàm solus omnium mortalium in potestate habuit.* scribo, in potestatem habuit. qua de re aliàs. Quod autem ad istum foelicitatis titulum, memoriae proditum Solini Polyhistore, cap. vii. suo quo necdum repertum fuisse, qui foelix censei iure debuisset.

fol. eod. *Edixit vniverso orbi suo, ne qui effigiem regis temere assimilaret ære, colore, celamine, quin sepe solus eam Polycletus ære duceret.*


Suspicio tantum legendum, celamine. quid ni solus. vel hoc modo: quippini solus. Obuia hæc vox apud Plautum Bacchid. Menæchmis. & alibi apud Terentium, Iunio Apuleius ix. de asino: *cænam*, inquit, apponebat ei prope quænam inuita, quippini destinata alijs. Alterum apud eundem vndecimo de asino: *Nec hercules me laborum, aut sumptuum pœnituit. quidni, liberali Deum providentia iam stpendijs forensibus bellulæ fotum.*

fol. 9. *Si quis igitur illis libitinis splendidissimo huic auditorio, velut quædam macula sese immiscuit.*

Putavi quondam restituendum, si quis igitur ex illis libitinarijs, neque etiam nunc desisto. Nota Libitina Dea sepulchrorum à Pompilio instituta ex Odis Horatij. & iuvat, quod paucis lineis insertis præmittitur, *Si quis fortè in hoc pulcherrimo cœtu ex illis inuisoribus meis malignus sedet.* vbi & corruptè in editionibus legitur, *et illis.* Libitinarij isti nõ omnibus noti, erant autè, qui ad pompam funebrem necessaria procurabant. Glossæ antiquæ *Κισπέλλωνες τὰ νεκρῶν τάφους, κομιστῶν.* Iterum *νεκροδῶμιος, νεκροδῶμιος, libitinarius.* Vlpianus: *Si libitinarus, quem Græci κτεριστῶν vocant, seruum pollinet rem habuerit.* l. cuicumque. §. idem. ff. de instito. actione. in qua l. pro κτεριστῶν reponendum *νεκροδῶμιος*, monuit V. C. Antonius Augustinus iiii. Observationum, cap. x. i. Libitinam exercere triste opus, plebeium fordium fuit. hinc libitinariorum nomen adagione in momos auctor torfit. quos ipsemet tristiores vocat lib. iiii. Flor. *Nemo*, inquit, nemo me ex illis tristioribus velis in isto vituperare, quod honorem meum non minus vereor, quàm intelligo. Si quis tamen aliter prædictum locum constituere velit, ac scribere ex illis *libitinis*, quod valeat *libitinis*, non me sentiet pertinacem.

fol. 10. *Nam quodcumque protuli ad vos excerptum, illico & lectum est. Nec reuocare illud, nec ante mutare, nec emendare mihi quicquam licet. quo maior religio dicendi habenda est.*

Non potuissent magis deformare vel ipsæ Harpyiæ, quàm ab interpunctione, quàm à scriptura. Verba autem Apuleij sunt scripta sua publicè recitantis. ea sic emaculo: *Nam q. protuli ad vos, excerptum illico, ut lectum est. nec reuocare illud, nec inde mutare.* Cuius correctionis rationem reddendam non arbitror, quod per se satis liqueat.



GODESCALCI STEVVE-
CHI IN L. APVLEII
LIB. II. FLORIDORVM
QVAESTIONES.

SPINAE, *senticeta. Emendata l. prima. ff. de adsignandis libertis.*

Cata oratio, *cati patres. Arnobij emendatio. Cynici philosophi quare canes dicti. eorum nuptiæ*

publicæ.

Lauta pecunia: opera lauta. Pherecidis philosophi patria.

Quis primus versus: quis oratione prosa scripserit primus.

Verba passa: oratio prosa, versa.

fol. 11. *Sed ingenti eius fœcunditatem malo doctrinæ, quàm multiformis instrumento emulari.*

Scriben. sed ingenij eius fœ. malo doctrinæ.

fol. 12. *Item historias varias rerum, nec non rationes laudatas disertis.*

Lego, nec non orationes. & paulo post emendo, que utinam possem quidem. nam quod istic ediderunt. que utinam post se me quidem, autumo factum non vigilantibus, sed somniantibus operis.

fol. 13. *Admirabilior esset in iuvene, quàm in te parta laus nisi eam tu talem dedisse, qua utinam perpetuo licet frui.*

Dij illis mortuis, qui ad eum modum Apuleij illa deprauarunt emendo: *nisi eum tu talem dedisses, quo utinam.* Pater Seuerianus in Africam proconsul missus filium secum adduxerat Honorinum legatum. huius virtutes auctor omnimodis commendat, imò æquiparat ipsi patri, denique innuit Carthaginenses nihil ita velle, quàm vt Honorino isto, tali patre nato frui liceret perpetuum.

fol. eod. *Qui herediolum sterilem, & agrum scruposum, meras rupinas, & senticeta miseri colunt.*

Quid si conemur restituere? *qui herediolum, agrum sterilem, & scruposum, meras spinas & senticeta miseri colunt.* nam quod vulgatur, Apuleij non esse tam certum, quàm Apuleium ipsum fuisse.

fol. 14. *Id verò, quod dicit, ita similiter nobis canit, vel potius eloquitur.*

Postulat ipsa sententia, & quæ præmittuntur verba de pfitaco, geminationem syllabæ, quod didicit. Martialis: *Pfitacus à vobis aliorum nomina discam.* Syllabas non geminasse librarios, quæ bis scribendæ essent, etsi ad eruendam verborum sententiam literæ sæpe turbato ordine traiciendæ sint, notum ex textu Digestorū Florentino, vbi sæpe obuium, *SENTIARUM*, pro *sententiarum*, alia trecenta. quod tamen minus animaduersum in Senatusconsulti formula I. prima. ff. de adsignandis libertis: *Solus ei patronus, solæve patrona esset, perinde, atque si ab eo, eam libertatem consecutus, consecutæve est.* vti que scribendum enim, *consecutæve est, pro esset.* Superiora illa Apuleij de pfitaco dicta, meo iudicio iam rectè constituta: etsi insuper emendanda, quæ de eadem aue præmittuntur, dum facile os vti conformetur, dum tenera lingua, vti conubretur. mala scriptura vulgaris, cum tenera.

fol. 15. *Philosophi ratio, & oratio tempore iugis est, & auditu venerabilis, & intellectu utilis, & modo omni cana.*

Scribe meo periculo. & modo omni cana. Varro libro sexto de sermone Latino: *Catus Aelius Sextus non, ut aiunt, sapiens, sed acutus, & quod est, tunc cœpit memorari simul cata dicta accipienda, acuta dicta.* Arnobij lectionem editam, quæ libro quinto aduersus gentes, cum de fabula loquitur, non verear mutare: *Dicunt eam cati patres, & superciliosa perlegunt gentes.* nam vulgati libri habent, *cursi patres.* Plau Mostel. ——— *miror tam doctam, tam catam te.* Non omnes hos catos accepere, pro Varronis animo. plerique enim, & optimi scriptores vsurparunt pro hominibus seueris, se-

rius, sapientibus. quo modo Apuleius Athenienses vocavit catos, alij alios.

fol. eod. *Dux Cynicis in porticum, ibidem in celebri loco coram luce clarissima, accubuit.*

Cratem philosophum ab Hipparche puella efflicim adamatum narrauit. ipsum eandem dehortari conatum, amorem deponeret: se nimirum pauperem esse, ad hoc deformem. ut probaret utrumque, dorsum gibbosum in publico illi exhibuisse; suppellectilem, & mundum philosophicum, pallium cum pera, & baculo humi proposuisse: his nihil commotam puellam respondisse, illo se marito contentam, ac subdidisse, duceret quod liberet. Ille conditione accepta, quam alij domum ducere solent uxorem, in locum publicum duxit, atque inibi accubuit. Imò quod proprium Cynicorum erat nouam nuptam in propatulo virginis nomen ponere voluit: & hinc est cur nomen Cynicis à canibus inditum. ut auctor Diogenes Laertius in vita eiusdem philosophi. Ex quibus liquet, non abs re me emendasse superiora: *Duxit Cynicus in porticum, ibidem celebri loco, in coram, luce clarissima accubuit.*

fol. 17. *Nec non mēdendi remedia morralibus latis pecuniis, terra, caloque, & mari conquisita.*

Genuinum videtur. *latè pecunijs*, aut quod malim, *latis pecunijs*. alibi præmia vocat optima. frequentata hæc in libris bonorum scriptorum, *dos lauta; opera lauta, &c.*

fol. eod. *Quin etiam Pherecides Syrio ex insula oriundus, qui primus versuum nexu repudiato, scribere ausus est passim verbis soluto loquutu, libera oratione.*

Corrigendum, *Syria insula oriundus*. ex mente Strabonis libr. x. *D*-inceps vna dictione leuiter mutata interpungendum, *scribere ausus est passim verbis*, fol. 10. Istiusmodi orationem hodie vulgus profram vocat, Apuleius profram nuncupauit libr. iii. *Florida, & profla, & vorsa facundia veneratus sum: ita ut etiam nunc hymnum eius, utraque lingua canam.* Ex quibus verbis conuincitur, profram orationem rectè dici posse; aut Latine nescisse Apuleium. quod indicare visum, quia vir celebris, & magni in litteris nominis, id negauit. *Deam profram nominatam*, quæ legitimo partui præfesset, notum ex Cælio. Hoc amplius, reticendum non est, profla inuentionem, atque adeo historiæ scripturam Cadmo tribui, qua de re adeundus Suidas.

vel ἴδιον, aut παῖδος, similis vox Græca hic hæserit. quanquam in priorem sententiam magis inclinet opinio nostra.

fol. eod. *Serus adueniens amicus annuit locum cessui, impertiunt. extimus quisque excuneati queruntur farto toto theatro.*

Ipsum mihi Thalem Milesium iudicem da, nunquam sensum eorum verborum eruat. neque idem neget rectè me emendare. *ambis locum cessui*. id est, flagitat, petit. causa deprauata & intricata sententiæ, quòd in optimis libris perscriptum fuerit *am Vit*, locum cessui dicit, quemadmodum & libris superioribus oleum vnetui, tunicam indutui, baltheum cinctui, pallium amictui.

fol. 20. *Missi ex promptioribus, qui acciperent, atque eum in suo lectulo mortuum offendunt.*

Huiusmodi menda qui non videntur, vel si vidère, præterire voluerunt, his molestum non erit spicas istas nos legere, vbi suã ipsi fecerint messem. *lego, qui accirent.*

fol. eod. *Dolor modico ante sedatus est, quam me denique violentus examinaret, & Philemonis ritu compelleret ante lethum abiret, quam lectum.*

Tollenda duo menda, quæ operarum incuria irrepserynt: & scriben. *exanimaret*. & mox *lethum adire*. deinde leniter immutandum, quod subsequitur, *veniebam reditum*, quod pepigeram. quisquis locum inspexeris animo attento, facile videbis verum esse, *veniebam redditum*. vel, quia res theatralis agitur. *ven. editum*.

fol. 21. *Vt pro eo honore vobis multas gratias dicerem, pro quo nullas preces dixeram.*

Vocum allusiones ita crebræ in his Floridis, vt non sine studio quæ sitæ videantur. eoque merito suspicatus, & hoc loco Apuleium id secutum, ac scripsisse, *preces direxeram*. loquutione in constitutionibus imperatorum obuia, & in libellis Principi, aut sena tui porrigendis plus satis frequentata.

fol. 21. *Certa enim ratio, quæ debeat philosopho ob decretam sibi publicè statuam gratias agere. à qua paulum demutauit liber, quem Strabonis Aemyliani excellentissimus honor flagitat.*

Priora

Priora illa sic restituta arbitror, quum debeat philosophus. & post rescribendum, demutabit liber. nam id tempus ipsa orationis series deposcit. enim librum illum elaborandum adhuc fuisse clamant ista, quem librum sperabo me commodè posse conscribere. sed nondum hæc satis. namque in vno orationis ambitu fertilissima est seges vitiorum. sequitur mox:

fol. eod. *Scitis eum hodie nobiscum probare. est enim in studijs tantus prænobilior, sic proprio ingenio, quam patritio consulatu.*

Nisi egregiè fallor, dixerit auctor, *Sitis eum hodie vobis comprobari. ut enim sitis, pro, si ueritis, ita scis, pro scieris, uenis, pro ueneris.* item alia antiquitus simili contractione formabant. nonnunquã & duæ voces in vnã conglutinabant: ut, *sodes, pro, si audes, sis, pro, si uis, illico, pro, in loco.* testes Cicero, Nonius, Festus. Quod ad explicationem emendationis reliquæ, veniam petit Apuleius à senatu Carthaginensi, & principibus Africæ, permitterent in hac oratione, quæ gratis agendis, pro statua sibi à senatu decreta destinata fuerat, aliqua adspargere in laudem procōsulis AEmyliani. Quam eius rei causam dicere nititur, eam uerba sequentia non exprimunt. vide num rectè à nobis castigata, *Est enim in studijs tanto hic prænobilior proprio ingenio, quam patritio consulatu.* cui coniecturæ meæ post comperiri præualere Beroald. codicis lectionem: *Est enim in studijs tantus, ut prænobilior sit proprio ingenio, quam patritio consulatu.*

fol. 22. *Commemorauit inter nos iura amicitie, ac commilitie, studiorum, eisdem magistris inchoata.*

Sublata interpunctione, repono: *ac commilitia studiorum.* nam cōmilitium ita positum neutro genere in Pandectis. l. de hæreditate. ff. de castren. pecu.

fol. eod. *Quid igitur superest ad honoris mei tribunal, & culmen ad laudis meæ cumulum.*

Enumeratis cōpluribus AEmiliani in se beneficiis, in eo maxime gloriatur, ac triumphat Lucius, quod pro consul, se illi statuam Carthagine de suo positurum pollicitus. & hoc meo animo culmen laudis. scribo: *quid igitur superest ad honoris m. tribunal? et culmen.* in quo *crispata* longè maior.

fol. 23. *Nonne uidetur hoc uobis senatusconsultum esse? quod Carthaginenses omnes, qui in illa*

sanctissima curia aderant, tam libenter decreuerunt omnes.

Considera quæso, sitne ad formulam adclamandi, quæ in consensu senatorum obseruabatur, hoc loco allusum, vt Apuleius scripserit, quod Carthaginenses. qui in illa sanc. curia aderant, tam lib. decreuerunt Omnes, Omnes. nam geminatam etiam in acclamationibus hanc vocem testis mihi H. Vopiscus, in Tacito. iterum in Probo & V. C. Iustus Lipsius in suis lectissimis Electis. Trebellius Pollio, quæ cum essent sæpius dicta, addiderunt, Omnes. eodem spectat & subsequencia Apuleij, qui me, inquit, in illa curia honestissimus adclationibus decorauere, in qua curia, vel nominari tantummodo summus honor est.

fol. 23. Igitur quod difficile factu erat, quodque reuera arduum nobis existimabatur, gratum esse populo, placere ordini, proburi magistratibus, & principibus, id præfusiue dixerim, iam quodammodo mihi obigit.

Monstrum verbi, præfusiue, etiam in Beroaldina editione locum retinuit. id qui primum fabricauit, næ ille plaustrum perculit. corrigo fauentibus Musis: id præfiscine dixerim, quodammodo mihi obigit. quam formulam de Plauti Asinaria, & Rudente expressit. Arrogabat sibi Apuleius quod paucis ante hominibus obtigerat. qua re ne forte iram Deorum, vel inuidiam mortalium sibi accerferet, subdidit illico mutuatam de antiquo nuptiarum ritu formulam præfiscini. Nouam nuptiam laudari sole in Hymeneis, sat constat. sed iactis fescenninis, adicere statim solent ad atendum fascinum: præfiscini. Titinnius in Serina:

Paulla mea amabo pol tu ad laudem addito

Præfiscini. —————

Fragmentum illud apud Charisium lib. II. suarum Institutionum qui rei explicancæ subiicit, ne puella fascinetur. adeundus & Festus, in Fescennini. & Ianus Gulielmius noster lib. II. Verosimilium. Porro fascinare Virgilio, Plinio, valet incantare. Consulendus Plinius libro septimo naturalis historię, cap. II. Agellius lib. IX. cap. IIII. Denique præfiscine, de præsentis; præfiscini. de futuro dici notat flos eruditiorum Ioseph. Scaliger ad Festum, in numero.

fol. eodem. *Quæ mihi ne in mediocribus quidem ciuitati -*

uitatibus unquam defuere, ne in Carthagine desint.

Quid si reponam, *nedum Carthagine desint.* qua forma pluries scriptorem hūc vsū obseruabam. in primis lib. ix. de asino: *vix paucos olerum manipulos de proximo, solet anhelitu languido fatigatus subuehere; nedum ut rebus amplioribus idoneus videatur gerulus.* Suetonius de illust. Grammaticis: *Grammatica olim Romae ne in vsu quidem: nedum in honore vllō erat. sed alibi nos hac de re egimus, in vsū puerorum, quanquam ibidem, ne, pro nedum meminimus frequentatum.*

fol. eod. *Viderint quibus mos est oggerere se & otiosis præsidiis, ut impatientia linguæ commendationem ingenij quærant.*

Restituendum dubio procul oggerere sese, vel oggerere se nec otiosis vel negotiosis præsidiis, ut impudentia linguæ. Crebro has voces, *impudicitia, impudentia, imprudentia, impatientia,* locum mutuum inuasisse comperi. si quis exempla quærit, adeat notas doctissimi Stephani Pighij amici mei ad Valer. Maximum. hoc amplius etiam secundo de Asino à Parisien. meritò legebatur, *sensit imprudētia sua labem, cum antè vulgaretur, impudiciæ,* quod non nisi ab imprudentibus ibidem suppositum.

fol. 25. *Quo magis celebrari debet frequentius usurpata, & quidem non nisi adiutorio tanto viro præsidente.*

Dicta de voce humana hanc credo scripturam desiderant, *celebrari debet, frequentius usurpari & quidem non nisi auditorio, &c.*

GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. III. FLORIDORVM

QVAESTIONES.

VBI, unde, aduerbia loco relativi
rum pronominum.

Prothagoras Democrii discipulus.

eius disceptatio cum Euathlo.

Venariū pulsus in morbo inconstitit

C. & G. promiscuæ litteræ olim.

Faces in funere. eas auersas viros tenuisse.

Quid rogas, bustum, pyra, sepulcrum, monumentum.

Homines, pro, omnes; Habeo, pro, aueo. B. & V. unde confusa.

Emendari Varro apud Nonium:

*fol. 26. Item ille comicus, qui parvam partem postulat
Plautus loci.*

Meo iudicio Plauti nomen auctor non adscripsit. de quo tamen tuum audire lubet iudicium.

fol. 27. Faciliusque laudes vestras alibi gentium, quam apud vos predicarim. ita apud vos cuique modestia obnoxia est: apud extraneos autem veritas libera, & ubique.

Reponebam, ut mihi videbar, non infeliciter: ita apud suos cuique modestia obnoxia est. etsi enim ciuis Carthaginensis non esset Apuleius, in cuius senatu haec dicebantur, tamen ad coniecturam meam pertinet, quod subiicit: mihi & patria in concilio Africae, id est vestro, & pueritia apud vos, & magistri vos.

fol. eod. Protagoras, qui sophista fuit longè multiscius, & cum primis rhetoricae repertoribus perfacundus, Democriti physici ciuis aequaeus, inde ei suppeditata doctrina est.

Historiam illustrabit Agellius libro quinto, cap. tertio. qui cum non omnino sentit Philostratus Lemnius in vitis sophistarum. Interim emendandum, unde ei suppeditata doctrina est. ab ipso enim Democrito omnia Protagoras iste hauserat, attestante ipso Agellio. vsus auctor particula unde, loco pronominis relativi personalis. & quanquam Inde, eadem phrasi accipi potest, ut & reliqua pleraque loci aduerbia (ut in Particulis demonstraui-mus) alterum tamen nobis visum magis conueniens. Itidem Cicero pro Flacco: adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, &c. in omnes terras distributa putantur. Terentij, Caesaris, Varronis, aliorum exempla, qui desiderat, videat in Particulis nostris.

*fol. 28. Caput nolle quod pepigerat, sed callide ne tediis
moris*

moris frustrari magistrum, diutulæque nec asserere velle, nec reddere.

Euathli triconis versutia tangitur, de cuius astu, & lite cum præceptore Protagora agitata consulendus Agellius libro dicto, capite decimo. & locus Apuleij, nisi me coniectura fallit, propius ad sententiam rescribendus, *nec adserere velle, nec renuere.*

fol.30. *Animaduerteret venarum pulsus inconditos, vel præclaros.*

Mihi equidem dubium non fuit, pulsus illos non præclaros, sed, præceleres, nuncupandos. Infra hoc eodem libro, *manum hominis pertractat venarum pulsus, & momenta captat. si quid illic turbatum, atque inconditum.*

fol.31. *Procul igitur faces abigerent, procul ignes amolirentur, rogam demolirentur.*

Corrigo: *faces abiicerent.* C & G litteræ promiscuæ librariis. Faces in pompa funebri iustis persolvendis adhibitæ. Apuleium audiamus lib.11. Floridorum: *comædiam eius, inquit, prius ad funebrem facem, quam ad nuptialem venisse.* testis locuples Virgilius erit, ut morem illum eadem opera simul illustremus. is igitur sexto Aeneid.

—————*tum membra toto defleta reponunt,
Purpureasque super vestes, velamina nota,
Coniiciunt, pars ingeni subiere pheretiro
Triste ministerium & subiectam, more parentum,
Aversæ tenuere facem.*—————

Quo loco interpretes adnotant propinquioribus virilis sexus facis tenendæ officium dari solitum. quod ad rogam Seruius audiendus est. *Apparatus* (inquit) *Mortuorum funus dici solet; exstructio lignorum, rogam; subiectio ignis, pyra; crematio cadaveris, bustum; locus, vstrina, operis constructio, sepulchrum; inscriptum; nomen, memoriaque, monumentum.*

fol. eodem. *Postremo propinquus etiam hominibus inuitis. quod ne iam ipsi hereditatē habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant, agrè tamen ac difficulter Asclepiades impetravit mortuo dilationē.*

Tria hinc menda expellenda, inde reddenda ratio emendationis. scribo, *propinquus etiam omnibus inuitis. quod ne an ipsi hereditatem auebant.* genus loquendi agnoscent scio, qui scriptorem hunc vigilanter legerunt: tum faciliè animaduertent ludere eum in *propinquus* verborū, *auere, habere.* In consanguineos id imprimis

torquere conatur, magis de familia herciscunda, quàm reuocando postliminio, quem defunctum volebant, sollicitos fuisse. atq; eò minus credidisse medico. Præterea non iam primum est, cùm illud *auco* deprauatum est in *habeo*, pertinaci & peruersa descriptorum consuetudine. quibus B, & V, (ni fallor) ex adfinitate secundæ literæ Græcæ, & Latinæ, promiscuè scribebantur. Tum & adspirationis notam adhibebantur, adimebant pro lubitu. sic in editione nostra lib. II. de asino legas: *facilis auritu*, cùm debeat scribi *hauritu*. Itidem in Mamertini Panegyrico ad Iulianum Imp. in duabus editionibus reperit: *ediscenda omnium nomina tribuum homines, atque etiam singuli salutandi*. puer videat, quia de candidatorum laboribus agitur, legendum, *edisc. o. nomina tribuum; omnes, atque etiam singuli salutandi*. Redeo ad vocem *Aueo*. & Varronem emendo apud Nonium in Mutabiliter: Varro, cras credo hodie nihil. *Quibus instabilis animus mutabiliter habet auere, & non habere, scribo, auet habere*. nam in eo animi ætus, quod modo aucat, & cupiat; modò repudiet. Iuxta illud Horatij:

Quod petijt, spernit: repetit quod nuper omisit.

Item & apud Petronium in epigrammate:

*Ipse pater veri dictus Epicurus in arce,
Iussit, & hanc vitam dixit habere Deos.*

Quid aliis placeat scio, lego nihilo secius, *dixit auere Deos*. Exstant apud Priscianum versus Vari poëtæ ex libr. II. de magistro illo, qui filios Faliscum sibi commissos hostibus tradidit. quos ideo adscribam, vt ad fragmenta poëtarum, vbi ea desiderabam, referantur; sed paulò integriores:

*Tum literator creditus
Ludo Faliscum liberos,
Causatus in campi patens,
Extrâque muros ducere:
Spaciando paullatim trahit
Hospilis ad valli latus,*

* * *

*Seu tute malis hospites,
Seu tute captiuos habes.*

Ne ambige, quin primo versu scribendum, *creditos*, vltimo verò *aues*, non habes.

fol. 31. *Bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est. ita vt circa in maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc, indicantur cruenta mente, pura manu.*

Scriptis

Scriptis Apuleius, *ita ut contra*. neque dubitandum, quid præ oculis habuerit diui Hadriani rescriptum, quod hodièque extat in l. Diuus. ff. ad legem Corneliam de sicariis: *in maleficiis voluntas spectatur, non exitus*. facit eodem & l. quisquis. C. ad legem Iuliam maiestatis: & Iuuenalis saty. xiii. & inde est, quod Cicero pro Milone scripsit, *interitus causam, non interitum spectari oportere*. Pro altera sententiæ parte stat Ouidianum istud:

Si desint vires tamen est laudanda voluntas.

Itidem Apuleij hoc eodem libro: *sicut ad pœnam sufficit meditari puniendam, sic & ad laudem satis est conari prædicanda.*

fol. 32. *Hiscæ igitur mor amentis omnibus qui volunt deuitari, aduectorem sibi met equum deligunt diuinae fortitudinis.*

Impedimenta varia, molestias grauissimas recensuit, quas sentire solent illi, quicunque carpento iter conficiunt. quæ quidem omnia deuitare volentes, equo vehi malle ostendit. locus mihi constituendus videbatur: *Hiscæ igitur omnibus qui nolunt deuiari, vel quod verius autumo, deuitare, hoc est à recta via deduci, deflectere. Viare, trāsuiare, deuiare* vilitata fuisse Lucilio, Afranio, Lucretio, & Plinio, sat notū est, pariter, *Bitere, betere, & bitare*, antiquis idem fuisse, quod nobis ire, nō ignorāt, qui vel pedē in studiis humanitatis posuere. meminit enim Nonius in *Betere in perbitere*. & ab eodem verbo Festo dicti *Bitenses*, peregrinantes: quod iam ante monui. Corrigo Nonium, *prouidere ait mouere, & ferre: lego, prohibere mouere, efferre*. & ibidem in versu Pacuij pro *prouideam gradum*, repono *probitem gradum*.

fol. eod. *Et illico in pedes desiliunt, fruticem, quem verberando equo gestant, eam virgam in leuam manum transferunt. Itaque, expedita dextera aduentus auscultant. & si diutule ille quippiam percerteatur, ambulant diutule, & fabulantur.*

Quid auscultandi verbum huic loco faciat, dico quod sentio, perspicere nondum potui. Beroaldus reposuit, *aduent, ac salutant*. amicus noster alibi laudauit, *aduent, ac salutant*. perbene ad sententiam. quæro tamen ex iis ipsis, quæro ex te? sitne verosimilior coniectura nostra, *aduent, auscultantur* idque sic fieri solere in aduendo, excipiendo hospite, &c. plus satis iam ante à nobis ostensum est, tum contendo in verbis subsequentijs Apuleianum fuisse, *quippiam percerteatur*. Redeundum ad auscultandi vocem usurpatam veteribus, pro *Osculandi*, teste Pompeio Festo. imò e

contratio, *Osculanam pugnam nominasse, pro Ausculana, idem quoq; memoriae prodidit. Itidem antiquitus V, pro Au placuisse, testes nummi, lapides, & libri manuscripti.*

fol. 33. *Omnia fluxa, infimâque esse. quidquid sub cælo diuitiarum est. eas omnes ad bene viuendum quicquam esse.*

Sententiam quære, videbis oportere scribi, *infimâque esse. & mox, ad bene viuendum nequicquam esse. Ennius apud Ciceronem: qui sibi ipsi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Virgilius quarto Æneid.*

*Adspicis hæc? ante genitor cum fulmina torques
Nequicquam horremus.* —————

Ouidius primo *Metamorph.*

Nequicquam Deus abscidit serram. —————

videndus Festus.

fol. eod. *Eam nauem si aut gubernator non agat, tempestas agat.*

Lege, eam autem nauem si gubernator non agat.

GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

LIB. DE DOGMATE PLATONIS

QVAESTIONES.

God. Ste. Adriano Quarræo.

V. N. S. D.



BITVM fratris tui doluisti non abs re: adolescens erat maiori iudicio quàm pro ætate ista; mores institutioni egregiè respondebant; generositas, & ingenuitas stirpi. sed quid facias, mi Quartæ, nam & nos, qui magnum spiramus homulli, fortassean & crastina dies videbit efferri. A moerore animum te tantisper auocare, & ad leuiuscula hæc à me in Apuleio notata aduertere velim. Vale, & Stevvechio, vt tuo, vt ere.

FINGERE. GenErix, contra Genitor scriben. geno, genere.

Mun-

Mundus musicè, & canorè mouetur.

*Tres animi partes in homine. quis
cuique locus tributus.*

Apuleij permulta sanata. & vno

loco Sallustius.

*Verbi Succedere elegãs significatio
Successus, pro, edificijs.*

Bilia. quid sit Manare.

fol. 36. *Materiam verò inprocreabilem, incorruptam-
que commemorat, non ignem, neque aquam, nec
aliud de principiis, absolutis elementis esse, sed
ex omnibus primam, figurarum capacem, factio-
nique subiectam.*

Platonis verba auctor recensuit de materia Dei. quid si verius
esse dicam scribendum? *fictionique subiectam.*

fol. 40. *Celestem animam, fontem animarum omnium,
optimam & sapientissimam virtutem esse genitri-
cem.*

Repono, *genetricem*, itidem eodem hoc libro *genentium, gena-
mur, &c.* rescribo à verbo *genere*. pro quibus vulgatum *gignentium,
gignamur*. de hoc verbo Priscianus lib. x. & alij Grammatici vete-
res consulendi. Præterea Genetrix per e, genitor per i, scriben-
dum obseruauit quondam probus Grammaticus. cuius senten-
tiam hæc inscriptione veteri, quæ Romæ in horto Caroli Stalle,
iuuare visum est:

FRATER. MEI. ET GENETRIX
GERMANA. ORO. ATQ. O. DESY-
NITE. LVCTV. QVESTV
LACHRYMAS. FVNDERE
SEL. IN. VITA. IVCVNDÀ.
VOBIS. VOLVPTATEI. FVEI
VIRO. ATQVAE. AMICIS
NOTEISQVE. OMNIBVS.

In alio marmore est, *Veneri genetrici.*

fol. eod. *Et hinc fieri, ut Musica mundus, & canorè
moueatur.*

Scriptit Apuleius: *ut Musicè mundus, & canorè mo.* quod verissi-
mum esse comperiet, quisquis considerabit, quæ hoc loco de nu-
meris, & modis differuit. Cenforinus de die nat. cap. xiii. totum
mundum musica ratione factum scribit. Nec multo postea o-
stensus Apuleius, & quidem ex mente & sententia Platonica,
non omnia quæ accidunt, ad vim fati referenda esse; sed rerum
euentum partim à nobis, partim à fortuna ipsa pendere, hoc ver-
borum ambitu vtitur.

fol. 43. *Sed esse aliquid in nobis, & in fortuna non nihil, & fortunæ improvidos casus ignorari à nobis fatetur. instabile enim quiddam, & intercurrens interciderè ea solere, quæ consilio fuerunt, & meditatione suscepta, quæ non patiatur meditata ad finem venire. & tunc quidem, tum impedimentum illud viliter prouenit, res illa foelicitas nominatur; at ubi repugnationes istæ nociuæ sunt, infœlicitas dicitur.*

Leuiuscula mutatione sententia eruetur: quod non patiatur meditata ad finem venire, & tunc quidem cum impedimentum, &c. an non hoc est post aliorum messem spicas legere?

fol. cod. *Totum verò hominem in capite, vultuque esse. namque prudentiam sensusque omnes non aliàs quam illa parte corporis contineri. cetera enim mēbra ancillari, & obseruire, cibos, & alia subministrare, vectare & in sublime possit, ut dominum, atque rectorem, prudentiæque eius à periculis vindicare.*

Adeffe iube patres omnes, conscriptos, quibusque in Senatum veniendi ius est, de verbis Apuleij pronuntiatiuros puto antiquum illud N. L. Latet sententia Platonica (nisi verius sit eum, pariter ut M. Tullium à Socrate illam mutuatos esse) quam tantis sordibus, & mendis inuolutam diutius circumferri non patior. rectè enim eluere videor: *cibos & alia subministrare: vim vctare, & in sublimi positum dominum, atque rectorem, prudentiæque eius à periculis vindicare.* Tres animi partes Philosophus summus constituerat. primam rationabilem scilicet, & omnium optimam, in arce capitis, ut gubernatricem. alteram, irascentiam nimirum, ad cordis deducebat domicilium. cupidinem verò, atque appetitus, in infernas abdominis sedes obtinere dicebat: ut vitiorum latebras, & diuersoria luxuriæ nequitiaque. Cum ratio sola regeret, inferiores due partes parerent; nihil iracundia, aut voluptas appetere, quod illa inutile esse dictaret; tum animanti sanitatem inesse, viribus polere, & pulchritudine. Consulendus Plato lib. De natura. Quod Iracundia rursum scripsit. id quoque non puto esse sine mendo, aut vitio scripturæ, verba hæc sunt:

Irascentiam verò procul à ratione, ad domicilium cordis deductam esse:

esse: obsequi eam, & respondere in loco sapientia.

Non me fugit eorum verborum expositio; vereor nihilo minus tamen ab auctore scriptum fuisse: *obsequi eam, & respicere interdum logos sapientia.* iuxta illud Horatij:

Ira, furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,

Imperat. hunc frenis, hunc tu compeisce catena.

Sallust. in Coniurationes: *Si libido possidet, ea dominatur. tum animus nihil valet.* nam ita in m. f. meis, tum, particulam addi comperisse me, non possum quin moneam.

fol. 44. *Iam gustatus solutiores esse sensus, ideòque humilioribus potius, aut aquosis commendatos.*

Mutila hæc de gustu olim animaduverteram, quare ea iam adscripsi ex Beroaldina editione & reponenda puto: *ideòque humilioribus potius, aut aquosis commodatos.* Quinimò & quæ de olfactu subsequuntur, mea opinione in hunc modum restituenda: *Eorum etiam, quæ corrupta videntur, separandi vis intelligenda est.* vulgatae editiones ad vnam omnes legunt, *quæ corrup. imitantur, separanda vis inest.*

fol. cod. *Cum quidem ea quaruntur vapore, & fumo exhalatur, odor in his iudicium sensusque succedunt.*

Reuocatum puto iri elegans loquendi genus, etsi hodie minus frequentatum, si legamus: *odoris iudicium, sensusque succedunt.* cum de corruptis, adustis, madefactis, ex vapore, aut fumo iudicandum est, (quam genuinam scriptoris mentem esse nemo negabit) dicuntur illa iudicium odoris subire, propter symphoniã, quam natura illi sensu voluit esse cum naribus. qua de re ornate differit, nec minus erudite Lactantius Firmianus, libro de opificio Dei, cap. x. Dixit phrasi non planè ab simili Virg. lib. 11.

———— *eidem olim curru succedere sueti.*

Itidem quarto Æneid.

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes.

Inde quoque *Successus* dicti Arnobio, pro domibus, libro secundo aduersus gentes: *Domibus, inquit stru ctis, & lautioribus successibus institutis, non adamarint casulas.* Immutanda eadem pagina in Apuleio hæc leuia: *auditus illi est, visusque prestantior.* male alij, *ille est.* Item: *sed homini promptuarium potius.* vulgò legunt, *hominis.* Item: *membrorum alia conditione sunt optima, atque longè peiora.* Ruit sententia nisi rescribas, *aliaque longè peiora.*

fol. 45. *Cum exardescit ira, trepidansque celerioribus motibus vertex cordis, ipsius madens sanguine pulmonis excipitur mollitia siti frigore.*

oportet, quàm ut amatores virtutum, vel inter se moribus, & institutis eos ad id prorsus imbibere, ut regere, & regi discant magistro iustitia. Quare præter cætera induci ad hoc cæteros oportere vti sciant, quæ sequenda, fugiendaque sint honesta esse ac turpia. illa voluptatis, hæc laudis.

Vide, sitne concinnior coniecturæ nostræ scriptura: quàm ut amatores virtutum velint esse. moribus & insti. e. a. i. p. imbueri, ut regere & r. d. magistra iustitia. Quare præter cætera induci ad hoc eos oportere vti sciant.

fol. 49. Ita enim dixerim, quæ non extinguit incitamenta irarum, sed ea stupore deficit immobili.

Docui alibi, legendum hic esse, defigit immobili. quod merito à me factum (etsi editio Beroaldina reclamat) capiet, qui de vitio incommobilitatis (Græci *αιαλυσίδου* vocabant) dicta illa intelleget.

fol. 58. Et est sane melius talem regi; nec ipsum in alios habere potestatem, nec dominari, sed seruire, ipsum aliorum adiici potestati, parēdi potius, quàm iubendi officia sortitum.

Dictum de eo, qui neque natura, neque industria sua ad rectum viuendi studium formari queat, quem ego aliorum potestati adegerim, non adiecerim. scripserimque, ipsum aliorum adigi potestati. nisi si quis malit, adigi potestatem. sic in Sallustio, in Pandectis, adigi iusurandum. pro, adici iusurandum, reponi debere alij suaferunt, membrana mihi persuaserunt.

fol. 59. Eum, qui per hæc profectus, fidenti, & securo gradu virtutis via graderetur, adeptum solidam viuendi rationem, repente fieri perfectum. hoc est repente præteriti, futurique cui ultimas partes attingere, & esse quodammodo in tempora letum.

Primum lege, virtutis viam graderetur. qua phrasi viuere vitam, alia multa olim efferebant. De certo, nescio an persuadebo verum esse, aut saltem vero admodum simile: & esse quodammodo in tempore lectum. quasi dicat commodè repertum virum, quem Plato requirebat perfectè sapientem.

fol. eod. *Immissis omnibus, quæ ad beatam vitam fuerunt, non ex aliis pendere, sed in sua manu esse sapiens rectè putat.*

Emend. *quæ ad beatam vitam ferunt.* nam Platonis istud auctor expressit: *τα δευτε δεδ αυνοιδου ος εν τα.* Cicero reddidit; *quæ ad beatè viuendum ferunt.*

fol. 61. *Sapiens non meræ voluptatis quidem alicuius gratia veniet ad agendum, nisi præsto fuerint honesta emolumenta virtutis.*

Si Philosophorum scholæ patientur, scribam, *molimenta virtutis.* Sisenna IIII. historiarum: *magno cum molimento, ac perpetuo sono procedunt.*

fol. 62. *Non solum autem oportet, dum vitam colit, digna discere, nec ea agere, quæ eorum maiestati displiceant, verum & tunc, cum corpus relinquit.*

Certa mihi correctio visa, *digna DIs dicere,* in qua si doctis placebo, non laborabo de cæteris. Vult autem Apuleius, seu potius Plato, sapientem Deorum imitatore[m] esse adfudu[m], cum dictis, tum factis.

fol. 63. *Ciuitatem esse coniunctione hominum plurimorum, in quibus sunt regentes, alij ceteriores. coniuncti inter se concordia, &c.*

Vide, si probè emendarim: *in quibus sunt regentes alij, alij ceteriores.* Voces totas etsi geminandas, se[m]el tantum librariorum describere solitos, longovsu, & Pompeio Festo obseruante didici. quod hominibus quibusdam scio non persuaderi, qui ipsi neque sua mihi omnia adhuc probare potuerunt.

fol. 65. *Facere ciuitatem plenam bonarum legum, & mirorum.*

Repono: *legum, & virorum,* nisi malis *morum.* & quod paulò superius editiones habent, *ipsa quidem specie, & dicis causa.* id operarum somnolentiæ acceptum feramus oportet. genuina enim lectura, *dicis causa.* Varro quinto de lingua Lat. & nihil, inquit, *intererat, cui imperaret.* & *dicis causa fiebant quædam.* neque item *facta,* neque item *dicta* semper. Similis formula, *Dicis ergo: Dicis gratia,* quas reperi apud Charisium libro primo. & vsu I.C. nostri, Vlpianus in l. Prima. De S.C. Sullan. & Caius l. IIII. commodati.

GODESCALCI STEVVE-

CHI IN L. APVLEII

LIB. DE DEO SOCRATIS

QVÆSTIONES.

God.Ste. Carolo Maldereo V. N. S.



E viam, si vnquam mihi gratior socius in lit-
teris, quàm tu, si in familiaribus amicus ami-
cior. nam quid istis faciamus, quibus aliud in
pectore, aliud in lingua. Quoties ioca, quoties
seria nostra memoriam subeunt, subeunt autè
sapius, toties mihi & facies, & suauissima con-
suetudo tua ob oculos versatur. Amicitia no-

stra, cuius fundamenta iacta in Grudiis, in Vbiis aliquantis postea
mensibus corroborata, tanti apud me, vt frustrà Spiram inuitaturus
fueris, ni multis me milliaribus quidam paulò antè ex Ger-
mania retraxissent. interea silentium inter nos, fateor nimis diu-
turnum. verùm enim verò peregrinatio vtrique (vt mea fert opi-
nio) pro excusatione nimis quàm iusta. alia tibi suppetit, rectè fe-
ceris si indicaris, sin plures, eò gratiores futuræ tuæ litteræ, quia
meas versibus superabunt. Vale.

VELA summarè; chalare; capera-
re. *Festinare*, properare quid di-
stent.

Tres Deorum gradus. Fac intelli-
gas. *Plantus Trinum*. emen-
datur.

A' p'orom elegans in priori, & po-
steriori orationis membro.

Correcta l. unica C. de reputationi-
bus quæ sunt. lib. II.

Sallustio repositum genus loquendi
non vulgare.

Multijugus. lunæ colores diversi.
Prinus, priuatus. Munia.

Auersator malis; opitulatur bonis.
Dæmones, unde dicti. *Obire*
ministerium.

Fila corporis. *Tonitrus*. *Genitur*.
Censorinus, *Cato*, *Sallust*. *Festus*
emend.

Larua. Omnes, pro homines. Singu-
lis hominibus sui Genij.

Edere vitam. *Custodia*, pro eo,
qui custoditur. *Interpretatae*
leges ff.

Vitator. *Optare virum, locum Ve-*
gere. *Apuleio ista vox resti-*
ntia.

*Speculatores diligere. Voces bina
geminanda. Terentij ex Plauto
mimesis.*

*sus emaculatus. Parentes V^l
lysis.*

Magistratus annui. Accij ver-

*Nobilitatem veram à parentibus
non dari.*

In ipso huius opusculi limine offendit me illa Lucij opinio de rebus quæ domi leguntur, & quæ audiuntur in gymnasio. hæc, quod subitaria sint, veniam facilius mereri contendit, his verbis:

fol.67. *Illæ enim, quæ scripta legimus, & tacentibus nobis talia erunt, qualia illata sunt. Hæc verò in presentiarum, & quasi nobiscum partienda sunt, talia erunt, qualia vos illa fauendo feceritis.*

Ex quibus verbis sententiam idoneam confieri posse non Apollini, non veritati crediderim. fortean poterit si scripserimus: *Hæc verò, quæ in presentiarum quasi vobiscum partienda sunt, talia erunt, qualia vos illa fauendo feceritis.*

fol.eod. *In manu vestra situm est, vela nostra summare, & iam immittere, ne pendula, & flaccida, vel restricta, & caperata sint.*

Paullo antè fauorem publicum, & omen captauit allusione ad formulam antiquam *FAVE TE LINGVIS*. de qua nos alibi, nūc poëtica mimesi translationem non inelegantem à re nauali sumptam huic scripto suo applicat, in qua legi debere putabam, & *auram imittere*. Vela summare; & legere, seu deducere vela, opponerentur. dixere quoque posteriori æuo *calare vela*, vt ad Vegetium docui. A *summandi* verbo *summatum*, *τὸ δ' ἐστὶν* Lucretius formabat. Caperata porrò vela imitatione Plauti vocauit: qui frontem rugosam, caperatam nuncupabat, & pariter cum eo patens Latini sermonis M. Terentius Varro. *Secundare, prosperare*, alia multa similiter declinata reperire est apud Nonium.

fol.68. *Coruus & vulpes vnã offulam simul viderant, eãque raptam festinabant pari studio.*

Scribo, *raptum festinabans*. Sallustius lib. III. *Histor. Vltroque licentiam in vos auctum, atque adiutum properatis*. deinde obseruo festinandi verbum ad corpus rectè hic relatam, cùm properare dicamur animo. vt auctor Nonius, quem sequor, dissentiente Agellio, lib. XVI. cap. XIV. Protinus quod Apuleius subdit:

fol.

fol. eod. *Igitur ales bestiam praeuenit, & secundo flatu, passis alis utrumque praeabitur, & iam anticipat.*

Id, hoc modo, ex mente scriptoris, & sententia apologi bene restitutum iri puto *passu alis, utique praeabitur, & illam anticipat, vel quod propius scripturam vulgarem, utcumque praeabitur.*

fol. 69. *Plato omnem naturam rerum, qua ad animalia iure pertineat, trifariam diuisit: censuitque summos deos, summum, medium, & infimum.*

Parum abest quin reponam, *censuitque secundum Deos.* Tres namque gradus Deorum post recenset. & totidem ex Platone auctor commemorauit libro suo de dogmate Platonis: vnum summum, incorporeum, patrem, & orbis architectum: secundo loco calicolas: tertio medioximos, quos Semones, & minorum gentium Deos nuncupatos, supra diximus.

fol. eod. *Fac intelligas modò loci disclusione, verum etiam naturæ dignitate.*

Lautitia sermonis, *fac intelligas.* sed hanc & similes non animaduertit puto, qui iniquam de hoc scriptore sententiam tulit. Itidem in fragmento veteris Senatusconsulti:

*Qui ex H. L. condemnatus erit
praedes facito det. de consill
maioris partis sententia.*

Similia in Plauti fabulis Pseudolo, & Merca *facito in aqua iaceas. uxori facito ut nunties.* simile & in P. Lentuli litteris ad Catilinam datis apud Sallustium: *Fac cogites (inquit) in quanta calamitate sis, & memineris te virum esse.* Mirum ni & Plauto quondam ea phrasis fuerit Trinummo,

Stasime facite properè celerem, recipe te ad dominum domum.

Scribebam, ————— *facete properè celeres,*

De praedicto loquendi modo obseruauit & Charisius lib. 3. Institut. cap. de confusis. Redeamus iam ad illud Apuleij: *modo loci disclusione; verum etiam naturæ dignitate.* Illud, *modo,* ab auctore ipso nō arbitror manasse, sed incuria repetitum, ex linea proximè sequenti. Non, pro non modo, Ciceronem, Plautum, Frontinum, Iureconsultos nostros libenter vsurpasse phrasin Græca, pluribus iam olim locis demonstraui, atqui scriptor hic milesiarū frequenter utrumque supprimit. quod etsi vix tanti est, ostendendū tamē confirmandæ superioris coniecturæ, Libro primo de asino: *locis*

perlitus, quasi recens utero matris editus imò semimortuus: verum etiam ipse mihi superuiuens & posthumus. Iterum libro sexto: Ego (ait) simul voluntariae fugae voto, & liberandae virginis studio: sed & plagarum suafu, quae me sepiculè commonebant. Si uiliter & libro decimo: Nam & galeam nitore permicantem, & scutum ceteris longius lucens, sed etiam lanceam longissimo hastili conspicuam. Iterum eodem illo lib. x. Tanta denique miseratione, tantaque indignatione curiam, sed & plebem mœrens inflammauerat. Idem locutionis genus ex optimis membranis, quibus Coloniae Melchioris Hittorpij, praestantissimi Theologi beneficio usus sum, retinendum suadeo in l. v. nica. C. de reputationibus quae fiunt lib. ii. Sed & cum minor adit hereditatem & restituitur, mox quidquid ad eum ex hereditate peruenit, debet praestare; verum etiam, &c. quae duo extrema verba nimis audacter hinc alij reiciunt. quemadmodum & in aliis constitutionibus, quod Deo volente alibi probabimus. Obseruari nihilominus & alium locum, ubi similis *ἀπονομί* in posteriori orationis membro. is apud Sallustium Catil. iam tum non consilibus modò; [sed] plerisque senatoribus perniciem machinabantur. & sed in membranis D. Hutteri nullum est, quas ego sequor. nec sequer, nisi alibi eximie bonas comperissem.

fol. 70. *Seu illa proprio, seu perpeti candore (ut Chaldaeii arbitrantur) parte luminis compos, parte altera cassâ fulgoris, pro conuersione oris discoloris multiuaga, pollens, speciem sui variat.*

Videndum dixerit ne Apuleius *multijuga, pallens*. de coloribus, & prognosticis, quae velut speculo orbis lunae ostendit, dicerem, ni ea latè profectus essem apud El. Vegetium lib. vlt. cap. xli. In eo quod subditur de Luna, *ceu quodam speculo radiis solis obfistit, & aduersi usurpat*, ut verbis Lucretij utar.

————— *totam iactat de corpore lucem.*

hic, inquam, adulterinum puto & usurpat.

fol. eod. *Arcturum, Geminos, Leonem, aliosque itidem radiantem Deos, quibus cali chorum computum & coronatum visimus.*

Leue peccatum, ac dignum ani aduersione. scribo, *comptum*. fol. 71. *Ceterum prophanae philosophiae turba imperitorum vana sanctitudinis, prima rationis, inops religionis.*

Malim

Malim legi, *privata rationis*, consulendus Agellius lib. decimo cap. xx. & Festus in *privus*. Nonius in *prima*. In eo quod post subditur de summo Deo ipsum solum ab omnibus nexibus patiendi aliquid, gerendū, nulla vice ad alicuius rei mutua obstructum: in eo subdubito legi ne debeat, *ad alicuius rei munia obstructum*. vide Festum in *munus*.

fol. 72. *Singulatim mortales cunctis, tamen uniuerso genere perpetui. vicissim sufficiens prole mutabiles.*

Iacio aleam, videbo an cadet ex animi mei sententia: *singulatim mortales, cunctim perpetui, vicissim sufficiens prole mutabiles*. quæ omnia, præter alias circumstantias multas, Philosophorum opinio naturæ humani generis attribuit. Videndus Plato IIII. De legibus. Festus in *Cuncti*.

fol. 73. *Cui victimam cadam? quem miseris auxiliatorem, quem fauorem bonis, quem aduersatorem malis cum vita ciebo?*

Facilis, & liquida emendatio, *quem auersatorem malis in vita ciebo?* Deum tutelarium munus tangit, quorum erat mala arcere, ac defendere. ipsemet Apuleius paullo post: *cum vsus postulas mala auertere, bona prosperare.*

fol. 74. *Quæ omnia, ut dixi, mediæ quæpiam potestates inter homines ac deos obediunt.*

Nimis manifesta macula etiam in optima editione. tollo, *inter homines, ac Deos obeunt*. quæ præter dignitatem Deorum sunt cæli colarum, ea administrari ait per *daemones*, quos Genios alij vocat, ita dictos, quasi rerum peritos. Lactantius lib. II. Institut. cap. xv. Horum enim aliis auspicia, aliis fulgura, aliis exta, aliis alia curæ esse, ad quæ non sit operæ DIS superis descendere. Apul. xi. de asino: *Sedulium quot dies obibam culturae sacrorum ministerium*. Idem libro decimo: *atque hæc omnia facile obediebam quæ nullo scilicet monstrante feceram. mihi placeret obibam.*

fol. 77. *Sed filia corporum possident rara, & splendida.*

Repono veram scripturam: *filia corporum*. id est, lineamenta. Itidem hic scriptor quarto de asino: *filio liberali virgo*. Neque hæc attingerem, ni viderem relicta in optimis editionibus. quale etiam illud pagina præcedenti: *quid super tonitruum Lucretius facundissime differat*. germana lectio, *tonitruum*. quod declinatum a tonitrus, exemplo antiquo. Leue quoque quod addam, nec tamen ob id prætereundum: *quo liquidius* ☉

plenius de *praesagio*, *Socratis*, deque eius numine cognoscatis. lege meo suafu, Deique eius. Itidem & inferius paullo hoc corrigebā, Verum eius monitis obediebat, eoque Deo suo erat longè acceptior. vulgant codices etiam Beroaldi, eoque de suo. plane infulsè.

fol. 79. *Haud sciam an bono, certè quidem meo periculo poteris Genium vocare. quoniam is Deus qui est animus sui cuiusque, quanquam sit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur.*

Corrigo, & quidem meo periculo, cum homine gignitur. Censorinus de die natali, à gignendo Genus appellatur. genuinam scripturam in membranis Colonienfibus vidi, à genendo Genus appellatur. Itidem emendabam Varronem apud Augustinum, lib. vii. de ciuitate Dei. Cato de re rustica: at ex agricolis & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur. legerim, genuntur. Sallustium pariter cum, in verbis, cum in phrasi vbique sibi simillimum id verbi vsurpasse mihi persuadebam, in fragmentis, cum de fortunatis Insulis agit: Cuius duas insulas (inquit) propinquas inter se, & x. stadia procul à Gadibus sitas, constabat suo pte ingenio alimenta mortalibus genere. editiones habent, gignere. Emendandus quoque Festus bis, terue, in Genium.

fol. cod. *Qui verò propter aduersa vitæ merita nullis bonis sedibus interuagatione, ceu quodam exilio punitur, hunc plerique Laruam perhibent.*

Concinniore credidi sententiam fore ex hac coniectura, nullis positis sedibus incerta uagatione. Laruis id vbique tributum, propter aduersa vitæ merita, erraticas esse. Propertius libro iiii. de vmbri & manibus:

Nocte vaga ferimur. nos clausas liberat vmbra.

fol. 80. *Ac ubi vita edita remeandum est, eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere veluti custodiam suam ad iudicium.*

Scribo, edita. Cicero Philippicis: Pythagora ipsum illum locum, ubi vitam ederit, sedemque viderim. Singulos singulis hominibus Genios seu Dæmonas custodes datos Plato credebat. hos etfi inuisos, vbique locorū prestò esse: obseruatores factorū, & cogitatorū. quinimò & vita deposita, continuo eūdem, cui præfecti fuerint,

rint, iudici sistere. quæ alter commentatur redarguere: quæ vera dicat approbare. prorsus illorum testimonio sententiam ferri. Dignum obseruatione, quod Apulcius *custodiam* appellat ipsum hominem, qui custodiendus traditus. vt & Plinius lib. x. epist. xxxi. qua phrasi & I. C. dixere, *custodiam neglegere. custodiam recipere.* & de ipsis, qui custodiuntur agentes, dicunt, *custodias militibus euadere.* l. ix. x. xii. ff. de custodia & exhibitione reorum. Itidem antiqui *optionem* appellauere eum, qui optatus sit.

fol. 81. *In rebus incertis prospectator, dubiis pramonitor. periculosus viator, egenis opitulator.*

Emendare conor, *periculosus viator.* sequentia ipsius auctoris verba consideranda relinquo: tum & hæc Minutij Fœlicis, qui de eodem Deo differens, *Socrates* (inquit) *nonis, qui ad nutum & arbitrium adsidentis sibi demonis, vel declinabat negocia, vel petebat.* meminit eiusdem & Lactantius Firmianus lib. ii. Diuinarum institutionum, cap. xv.

fol. 81. *Quis igitur in tali tempore est ad dicendum exhortatus? nempe Pilius orator, eloquio comis.*

Si me audis, leges, *ad dicendum exoptatus.* Virgilius tertio *Aeneid.*

Optauitque locum regno.

imitatus idem Petronius:

Hæc ubi calcauit Cæsar iuga milite læto,

Optauitque locum summo de vertice montis.

fol. eod. *Corpus annis abire, animum prudentia vigere, verba dulcedine affluere.*

Metuo ne perierit hic verbum vetus, & optimis scriptoribus frequentatum *vegere.* Pomponius Maiali, *animos Venus veget voluptatibus.* Itidem Sallustio repositum principio Coniurationis, volentibus membranis. Iterum reddo Apuleio prima Apologia: *cur oratio vestra rebus flaccet, strepitu veget.* in editis libris hæctenus est, *viget.*

fol. eod. *Itidem cum rebus creperis, & adstrictis spectatores diligendi sunt, qui nocte intempesta castra hostium penetrant.*

Reuocandi huc è re militari *Speculatores,* & scribendum *speculatores diligendi.* de utroque adi Commentarium nostrum ad *Fl. Vegetium.*

fol. 82. *Verum enim uero vt ista sunt, certè qui omnium ariolorum voces audiunt, sæpenumero auribus*

*suis usurpant vocem, de qua nihil contentur,
quam sciunt ex ore humano profectam.*

Spero, quicumque locum diligenter expendit, in meam sententiam pedibus iturum, geminatione scilicet duarum vocum rectè constitutum iri, *ut ut ista sunt. deinde, quanquam sciunt.*

fol. 83. *Quæ si foret frustra quæpiam, cur non potius aut certè cuiuspiam vox diceretur? ut ait illa Terentiana meretrix. Audire vocem visa sum modò militis.*

Emendare quidam conatus, aut vox, aut certè. crus fregit, qui gulam sanare voluit. postulat sententia hanc, aut non ab similem correctionem, *cur non potius aut uxoris, aut serui cuiuspiam vox diceretur?* Terentij versus Andria, ex hoc Plautino Cistell. adumbratum video:

Audire vocem visa sum antè ædes modò

Mei Lampadisci serui. —————

fol. eod. *Et nihil equè miror, quàm cum omnes cupiant,
& sciant quantum viuax animus colendus sit,
tamen animum suum non colant.*

Rescribe, quàm cum omnes cupiant.

fol. 85. *Hoc enim nec à patre hereditarium est, nec casu pendulum, nec à suffragio amminiculum, nec à corpore caducum, nec ab etate mutabile.*

Beroaldinam editionem caue sequaris, quæ habet: *suffragio amminiculum.* nam ita mihi nouem sorores illas fauere cupio, vera scriptura est, *suffragio anniculum.* magistratum annuum tangit, qui suffragiis adipiscebatur. ab anno *ἔταρο ἐστὶν ἔταρος* formantur, *annulus, annellus & anniculum.*

fol. 86. *Inclute parua prædite patria nomine celebri.*

Claroque potens pectore Achivi clasibus autor

Gravis Dardanis gentibus ultor Laertiade.

Eos versus Apuleius laudat ex Accij Philocteta, principio videlicet tragœdiæ. repono, *prodite parua*, simul hos versus in fragmentis veterum poetarum adhuc desideratos, adscribendos indico. Pergit porrò Apuleius in comparatione Socratis & Vlyssis. utrumque nimirum sedulo operam dedisse, ne quid alienum in laudibus suis audirent. longè præter morem eorum, quos nihil ferè, quàm imagines maiorum, & longos natales passim crepare audias, in auribus, quàm virtutis studio ornatiores. quos parum

fit


fit gloriæ, & claritati suorum non respondere; modò ne omnino eam extinguerent, vitæque turpiter acta tam densas offenderent tenebras, vt metuendum sit illos ipsos, & vnà omnes auos breuà in obliuionem omnino venturos: verba Apuleij hoc modo vulgari videmus.

fol.eod. *Novissimè patrem memorat. ceterum omnes laudes eius viri audistis. nihil mihi nec Laertes, nec Anticlia, nec arctissimus vendicat.*

Corrigo, nec Arcesius vendicat. coniecturæ nostræ dabit res ipsa. Vlysses namque patrem habuit Laërtem, matrem Anticliam. Arcesium verò auum paternum. Ouidius lib. XIII. Metamorph. vbi Vlysses ipsum inducit orantem:

*Nam mihi Laertes pater est, Arcesius illi,
Iuppiter huic.*

Ad propositam Apuleij tententiam facit quoque illud Minutij Felicis: *Nobilitate (inquit) generosus es, parentes tuos laudas. omnes enim pari sorte nascimur, virtute distinguimur.*



GODESCALCI STEVVE

CHI IN L. APVLEII

APOLOGIAM PRIMAM

QVÆSTIONES.

God. Ste. Arnolde Baert. I.C.

S. D.

RECTE tu V.C. qui vt belli calamitosissimi incommoda obliuiscare, alteri illi Genialis lectuli scilicet nomen dedisti. Memini videre me in musæo tuo multa, elaborata planè in Iure ciuili, & quæ tua diligètia est, atq; industria, plurima post accessisse non dubito. spero fore, vt tu multibus bellicis non nihil iam sedaris, ea omnia in lucem proferas, & vt auditores tuos soles, similiter & iuris antecessores, pariterq; togatos iuues tua opera. Erã nuper in lectione Apuleij, in quo carptim notabam hæc pauca (etsi fortasse nimis multa) de

De ñ

quibus, ut soleo de cæteris laboribus nostris, censuram tuam expectabo. Vale.

ACCUSATORES, quare subscribere coacti. Tornare.

Leuigando corpori antiquitas dedita. Lauere, & lavare.

Cato cum tribus tantum seruis in Hispaniam profectus.

Putare, pro aestimare. Sallustius Iugur. restitutus.

Finge. fac. pone, da ita esse. Professo bonorum apud Censores delata.

Ostendere, explere, demonstrare; valent probare.

Vox similis in fine præcedentis assumpta.

Carminum inuentor Mercurius.
Anquiterere. Iuuenalis correctus.

Humanitas proluxa. Doctrina posthuma.

Clepsydræ in iudicio quales. Proverbium, aqua mihi hæret.

Formula, bonæ rei, mala rei; bono reip. Magici qui.

Exdorsuare. Autem, Verò, in oratione cum ornatum.

Quantum potest restituta hæc phrasit
Apuleio sapius. Penitius, Arnob. emen.

Dextra corporis fortiora. Stata tempora. Quippini.

fol. 87. *Ita totiens ab accusandi periculo profugus, in assistendi venia perseueravit.*

Narrat Apuleius aduersarium suum Sicinium Æmilianum primariæ causæ diffidentem, ne periculum incideret, quod in accusando ex subscriptione subeundum erat, latibulum quæsisse. li bellum enim postera die, nomine pueri porrexisse, inibi adscriptisse, se pupillo accusanti tantum adstiterere. quorum verborum sententia mihi quidem (nescio an tibi quoque) postulare videtur, legerem: *in assistendi umbra perseueravit.* Constitutum autem ab Imp. Arcadio & Honorio, ut in causis criminalibus inscriptiones præponerentur. l. in causis. C. de accusa. & inscriptionibus. l. momentariæ. C. vnde vi. l. vnic. C. de abigeis. l. libellorum. ff. eodem tit. epistola D. Traiani ad Plinium, de Christianis cohibendis. eò videlicet, ut alterutram partem digna legum tenere possit auctoritas. dicta l. in causis. & l. si cui ff. de accusationibus. neque impunita sit mentiendi licentia, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. l. accusationis. C. de accusationibus.

fol. 90. *Capillus horrore implexus, atque impeditus stuppeo tormento assimilis.*

Putabam emendari posse, *impexus, atque impeditus, stuppeo tormento assi* voce deriuata à tornando. Cic. *Id ita torauit, ut nihil esset*

sci possit rotundius. sequitur mox: ab ineunte auro vnus studijs literarum ex summis viribus deditus. energiam habiturum videtur & summis.

fol. 91. *Quidni? crimen haud contemnendum philosopho. nihil in se sordium. sinere, nihil vsquam corporis apertum, immundum pati, ac foetulentum.*

Quod viderem de dentificio disceptari, placuit verum esse, nihil vsquam corporis asperum. respexisse videtur ad eum versum de præcedentibus:

Complanatorem tumidula gingiuula.

Præterea toto corpori leuigando veteres studuisse, præter Tibullum, Catullam, alios, testis mihi Arnobius non vno loco. & Martialis lib. 11.

Splendida sis nolo, sordida nolo cutis.

fol. 93. *Ceterum qui sese sciat rationem prompturum, neque inutilem, neque iniucundam, eius merito os ut bono potui poculum prælabitur.*

Præterierint licet hos scrupos præclari viri, nihilo secius tamen mihi statutum est eos tollere. primum substituo, *orationem prompturum*. inde scribo, *os ut bono potui poculum prælabitur*. quod valet idem quod *prælabitur*. Multa apud antiquos verba diuersimodè inflexa. sic & *lauare*: & tertia inflexione *lauere* dicebant. Virgil. 111. *Geor.*

lauit improba teter ora cruor.

Ea forma id verbi vsitatum Varroni, Plauto, Sallustio, & maioribus eorum fuisse, videre est apud Nonium Marcellum.

fol. 101. *Cum in Hispaniam consul proficisceretur, tres seruos ex vrbe duxisse, quoniam ad villam publicam venerat, parum visum qui vteretur.*

Continentiæ exemplum hoc ipse de se memoria prodidit M. Cato de cetero ne omittas emendare, quoniam iam ad villam pub. venerat: istic enim duos insuper pueros sibi emendos Cato curauit. & illos quinque in Hispaniam duxit.

fol. eod. *Delitias ventris, & inguinum neque vult vllas, neque potest.*

Suspicionem ducor, scribendum, *neque vult vllas, neque putat*. hoc est, *estim. ut philosophus*. ad eum modum id verbi Terentio, Ciceroni, Plauto vsitatum pueri scire possint ex Nonio. Apuleius hac eadè

ad. hanc. orationem. alibi. hinc. sup. &. vult. D d iij

apologia: quod si hac exempla nihili putas. Apuleius tertio Floridor. *supere nemo, si verè putet, potest.* Sallustio Jugur. idem excidisse animaduerti, in oratione Adherbali: *Familia nostra cum populo Rom. bello Carthaginensi amicitiam instituit, quo tempore magis fides eius, quam fortuna petenda erat.* legunt alij nec male, *fortuna pendenda,* mihi tamen lubet quod diuersis in membranis reperi, *petenda,* vel tantillum immutare, ac scribere, *fortuna putanda erat.* Cicero Attico: *Iam pridem scito esse, cum unum te pluris quam omnes illos putem.* lib. XII. epist. XXI. idem: *ea à me minimi putabantur.* lib. I. Famil. epist. IX Plau. Amph.

————— *nam mecum argumentis puta.*

fol. 103. *Quod viuo gracili lare, quod pauciores habeo, parcius pasco, lenius vestio.*

Aut valdè huius animi frustra sum: aut scripsit auctor: *quod paucos seruos habeo. paulò antè: Sed finge hæc aliter se, ac me ideo pauperè, quia mihi fortuna diuitias inuidi.* Expedita mihi, atque ad eò certissima ad emendationem semita, ex geminatione syllabæ, scribo, *aliter se*, pro *aliter esse.* Virg. quarto Æneid.

Quis me autem, fac velle, sinet. —————

Locutiones solemnes linguæ Romanæ proceribus: *fac ita esse. fac aliter esse. finge illū posse. pua a me dedisse. pone victum esse. do retineri posse, &c.* de quibus nos in vsum puerorum egimus in libro de Particul.

fol. 105. *Si me non ad causam agendam, verum ad censum differendum, vocasti. ne quid tu rerum mearum nescias.*

In vetustis codicibus, ex antiquo scribendi more, fuisse autumo, ad censum differendum, pro deferendum. conueniens vocabulum ei, qui in iudicio tanquam apud Censorem patrimonij sui vires professorus erat. Idem Vlpianus in formula censuali: *omnia, inquit, ipse qui defert, estimet.* Idem: *lacus quoque piscatores, & portus in censum dominus debet deferre.* l. Forma. ff. de censibus. Rursum deprauatè apud eundem Apul. superiori versiculo vulgarunt: *Hercules purgator ferarum. cum deberent pugnator.*

fol. 106. *Quin inquam vana hæc conuicia aufertis? quin ostenditis, quid insimulauistis? scelera immunia & inconcessa.*

Exigua mutatione opus, vt sententia constet: *quin ostenditis quod insimulauistis? scelera immania.* quin, inquit, frivolis omissis, ad scelera grauioris deuenitis? & quæ intenditis crimina capitalia probatis?

probatis? *Ostendere, demonstrare, explere, implere*, Iurisprudentibus idem esse quod probare, alibi doceo. quinimò & ipse Apuleius infrà dixit: *quæ si omnia palam, ac dilucidè ostendero*. Iterum hac eadem oratione: *expleas, quod es pollicitus*. Arnobius: *Aperite (ait) monstrate liquor iste cur detur: id est, superfundatur altaribus*.

fol. 108. *Qui magnum qualem isti dicunt in discrimen capitis deducit. quibus comitibus, quibus scrupulis, quibus custodibus perniciem cacam & inenitabilem prohibeat?*

Primò reponebam, *qualem isti dicunt*. valet, *qualem me*. cuiusmodi multa passim in Pandectis Florentinis. de quibus ego in Commentario Vegetiano in emendatione l. quæret aliquis. ff. de verb. signific. Postea quod nesciam quis scrupulorum vsus sit, malim, *quibus satellitibus, quibus custodibus*.

fol. eod. *Ceterum quæ ab illis ad ostendendum [crimen] obiecta sunt, vana, & simplicia, vereor ne ideo tantum crimina putes, quod obiecta sunt.*

Causam facile intelligis. cur rō [crimen] glossema censeam.

fol. 112. *igitur ut solebat ad magorum ceremonias advocari Mercurius, carminum vector, & illex animi Venus, & Lunanoxium conscia, & manium potens Trivia.*

Vt scribendum, *noctium conscia*; quæro si ne pariter verum, *Mercurius carminis inuentor*. persuadebo puto his, qui memores erunt Mercurium bubulcum fistulas inflasse, compegisse, ac demum Apollini cessisse pro virga aurea, teste Apollodoro libro tertio. quæ superant, ea interpretabitur nobis Virg. III. Æn.

*Tercentum tonat ore deos, Erebumque Chaosque,
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.
Sparserat & latices simulatos fontis auerni;
Falcibus & messe ad lunam queruntur ahenis.*

fol. 113. *Tu eodem referes etiam gulones omnes, qui impenso pisces precio à piscatoribus mercantur: etiam ipsos piscatores, qui omnium generum pisces acquirunt.*

Emendo, *anquirunt*. composita vox ex præpositione antiqua *An* (quæ significabat circum) & *quero*: testem habeo Festum. Idem verbum & libris superioribus Apuleio aliquoties reddendum notaueram. at loca in præsentiarum non occurrunt. Infe-

rius hac eadem apologia: eadem Græcè & Latine admittat conscribere, & in omnibus aut omiſſa anquirere, aut de ſecta ſupplere. in vulgatis heret, acquirere. Reuoco & apud Iuuenalẽ id verbi, ſatyra XIII.

nam quæ terraque, marique

Anquirenda putes, breuior via conferet illi.

fol. 114. *Quin ergo dicitis me eadem opera præcio impenſo per plurimos piſcatores quaſiſſe de littore conchulam ſtriatam, teſtulam habentem, calculum teretem.*

Mihi cerrè illa ſcriptura non ſapit, neſcio an coniecturam aliis probaturus ſim, teſtulam hiantem.

fol. 115. *Næ tu Claudii Maxime nimis patiens vir es, & oppido proxima humanitate, qui haſce eorum argumentationes diu hercule perpeſſus ſis.*

Magis placeret, prolixa humanitate. de quo nos alibi. hoc amplius ipſe Apuleius mox, liberalitatem vxoris ſua prolixa vocat. Item Minutius, ait, prolixè gaudere.

fol. eod. *Si videtur ſuſcipiat doctrinam ſeram planè, & poſt vinum.*

Memineram auctorem hunc libro quarto de aſino dicere, ſpem poſthumam. ideoque emendabam hic: doctrinam ſeram plane, & poſthumanam, idemque vt Iacobo Cuiacio primario I. C. in ſuis Obſervationibus lib. III. cap. IIII. placere intellexi, oppido gauiſus ſum, nobis in mentem veniſſe, quod tantus vir ſuo quoque calculo probarit. Sic immortalitatem poſthumam vocauit Minutius Felix, quæ Chriſtianis poſt reſurrectionem tribuetur.

fol. 116. *At tu interea dum legit, cauſam ſuſtine.*

Iubet Apuleius amanuenſem, aut alium recitare ex libro à ſe composito, quæ aduerſarij vt magica accuſauerant. nihilominus tempus quod huic lectioni impendebat, illud inquam tempus effluere ſibi oranti nolebat, quare iubebat non cauſam interea, ſed aquam, aut clepſydram ſuſtinerent. Cauſarum patronis tempus diſtribui ſolere ad clepſydras, apud Vegetium docui, eodem ſpectant & hæc paulo infra eadem hac apologia: cedo pueros iſtos, quibus confiſtitis, produc. nomina qui ſint, mea aqua licet ad hoc vtare, natum ab his clepſydris adagium, aqua mihi hæret. quo Cicero uſus ad Q. Fratrem lib. II. epiſt. VII. Apuleius apologia ſequen. at tu licet aquam ſinas fluere. quod ad figuram clepſydræ antiquæ etiam Apuleij hæc adicienda cæſto ex tertio de aſino: Sic rursù præſentis ampho boatu citatus accuſator quidam ſenior exurgit: & ad dicendi ſpaciũ

spacium vasculo quodam in vicem colli grãciler fistulato, ac per hoc guttatum defluo, infusa aqua, populum sic adorat.

fol. 118. *At enim, inquit, piscem cui rei, nisi male profecti disti?*

Scribend. *mala*, reclamationes licet editiones ineptæ. formulæ antiquariis notæ: *bonæ rei, malæ rei: bono tuo, malo tuo: bono reip. malo reip.*

fol. 119. *Quis enim fando audiuit ad maleficia [magica] desquamari, & exdorsari pisces solere.*

Magnum periculum est illud, *magica*, olim interpretandi causa ad vocem præcedentem adhibitum. supra dixit, *maleficia, & artes nefandas*. Itidem tertio de asino dicebat Fotis ancilla: *& quod alioquin publicitus maleficæ disciplinæ per infames sumus*. Iterum hac eadem apologia: *ut me in aliquo maleficio experirentur*. Similiter principio apologiæ sequentis vox illa accipienda est: his verbis: *& ipsis maleficiis infensus accusationem istam suscepit*. Quinimò solent aruspices mathematici, arioli, augures, vates, Chaldæi, & quicumque magicis carminibus aduerti sunt, non alio, quàm malefici nomine, consuetudine vulgi, appellari. l. nemo. & l. et si. C. de maleficiis. In reliquis Apuleij repono *exdorsuari pisces*. imitatio Plautina est ex Aulul.

Congrum, murenam exdorsua quantum potest.

fol. 121. *Debet ille nescio qui puer prouidus quantum ego audio & corpore decorus atque integer diligens, & animo solers & ore facundo, ut in eo aut diuina potestas quasi bonis adibus diuersetur.*

Lego, *puer probus*. prouidum enim, & quod mox subiicitur, *solertem esse*, non videntur tam conuenire, ut videlicet dicatur diuina prouidentia in eo puero, tanquam in bonis adibus diuersari. Dicta hæc de puero, cuius opera vsi in vaticinatione magici. de cuius habitu scribit Apuleius secundo de Asino. & meminit illius Lactantius Firmianus, lib. vii. cap. xv. In verbis reliquis, *in eo aut diuina potestas*. visum mihi tò aut minus sincerum. fortassean mutandum in *autem*. quo modo supra hac oratione particula verò conlocabatur his verbis: *qui prouidentiam mundi curiosus vestigant, & impensius deos celebrant, eos verò vulgò magos nominant*. Paraphrasi apud Plinium non vno in loco, nominatim lib. tertio, epist. octaua: *quare ego verò honestissima voluntati tue pareo*.

fol. 126. *Agnoscis Maxime rationem Platonis, quantum potui, pro tempore perspicuè explicatam.*

Locutionem elegantem, ab aliis miror hæctenus non reuocatum, quantum potuit. vsos ea formula Cæsarem, Terentium, Plautum, non vacat, neque lubet ostendere. Apuleium potius secundo emendem hac eadem apologia: audi igitur, cui cura cognoscere est, sed animo quantum potest erecto. hæctenus libros occupat, quantum potes.

fol. cod. *Quod dextra auris crebriores tinnitus fatebatur, signum erat morbi penitus adacti.*

Lege penitus adacti. & causam huius rei ab Apuleio discere. nam dextra, inquit, corporis validiora sunt, eoque minus spei ad sanitatem. Emendo & Arnobium etsi leuiscule lib. II. quod si homines penitus se nossent, aut intellectum dei suspicionis exciperent aura. libri impressi retinent, penitus. Eodem pertinet quod & supra in hac apologia legendum monui, penitus piscium ventribus insuatis, pro vulgari, penitus pis. ven. insuatis. de quo nos alibi pluribus.

fol. 127. *Exuuias more ceterorum serpentium statutis temporibus exuant.*

Locus iste ex iis est, in quibus restituendum putavi, statis temporibus.

fol. 128. *Solus repertus es Amiliane, qui scias etiam illa, quæ nescis, tantum super omnis stultitiæ vectus es. quippe qui solertissimi & acerrimi philosophorum, ne iis quidem confidendum esse aiunt, quæ videmus.*

Clara, ut mea quidem fert opinio, emendatio: super omnis stultitiæ euectus es. quippim solertissimi, &c.

fol. 132. *Ac bono iam periculo ad testimonium illud Crassi. quod post ista quasi grauissimum legerunt [à suspicionibus Amiliani transcursus] Testimonium ex libello legi audisti Gurnia cuiusdam, & desperati lurconis Iunij Crassi.*

Quæ includenda curavi, ad oram libri ab interprete quondam adscripta fuisse arbitratus sum.

fol. 133. *Quam verò sublimiter compositum, & verosimiliter commentum.*


Referenda huc quæ aliàs dixi de verbo, componere. dein de scripturâ cōpendiosam librariis causam præbuisse loci deprauandi non negabis, restituo subtiliter cōpositum. facit pro me istud, quod reperi apologia proxima. ô mirum commentum, ô subtilitas digna carcere.

fol. 134. *Aut potius Amilianus de consilio fecit. ne*

cum

cum sub tam seueris oculis tuis constitueret, ne tu belluam illam vulsis maxillis, fædo aspectu, de specie improbares.

Seruiret hoc loco, vt conueniens tribunali vocabulum, consistere, magis tamen arridet scribamus, *ne cum sub tam seueris oculis constitueretur, tu belluam illam.*



GODESCALCI STEV-

VECHI IN LAPVLEII

APOLOGIAM SECVNDAM

QVAESTIONES.

God. Ste. Francisco Lestræo

I. C. S. D.



ATEOR V. C. scribere oportuit ad te iam ante multos diēs, si non alia causa, saltem quia id tibi placere intellexeram; tum etiam liberandæ meæ fidei: cæterum, quò minùs desiderio, quo minùs officio satisfactum sit, non ego in culpa; sed in causa rumores bellici, quibus effectū, vt vel pauci, vel omnino nulli ex agro Treuirēsi commeare ad vos in præsentiarum ausit. Quod ad valetudinem tuam, spero eandē esse, qualis, cū inter nos discessimus, hoc est firmam. me profectò vehementissima febris, eaque tertiana, iam tertium corripuit. si pretendat, nescio quid me futurum sit, periculum maximè in eo ponendum, quod peregrinus ego; tum quod medicos paucos, paucissima quæ necessaria ægrotis in hac vrbē reperta iri existimem. Illud mihi deliberatum, atque constitutum est, per dies aliquot hic consistere, vt vel sola quiete reficiar. nam nauī me committere, ac Mogontiacum pergere nisi valentem, ac benè firmum; neque consultum, neque ad eò necessarium. Observationes istas in Apuleium, si modo est vt possis, mecum considera. mox respondebo quoque ad ea, quæ vel per litteras, vel in coram ex me quaesisti. Vale, & collegas tuos D. P. Gregoriū Deca-

num, & D. Guilielmum Barelaum, iuris professores, meis verbis saluta.

NON est aliud, inuidia: valet. quam inuidia. Sublata mendacia. ex Cic. epist.

Eo ad, ea propter, ad quo.

Ex eò. Fructurus. In Paneoyrico locus sanatus. Solere, verbum non castum.

Magna fraus circa dotem.

Formula, Ex more: more maiorū: sine more: malo more:

More Romano: more perpetuo: cōtra bonos mores.

Macci & buccones. Stare pro aliquo. Quam ausus es.

fol. 139. *Quid igitur est? cuius clare dilucet aliam rem inuidiam nullam esse.*

Rarā phrasim minus perceptam sententiæ deprauandæ fuisse intelliges. rescribo, aliam rem inuidia nullam esse. vt AEmilianus & impulsor eius Rufinus Apuleium reum facerent, non aliud, præter inuidiam, in cāussa fuisse ait. ea phrasi Horatius:

*Edicto vetuit, ne quis se præter Apellem
Pingeret, aut alius Lysippo duceret ara.*

Itidem Varronem locutum demonstraui in Particulis. Adde nunc, mendam tollendam ex epistola M. Bruti apud Ciceronem lib. xi. famil. epistol. ii. *Nec quidquam aliud libertate commune quæ-
sisse vulgatis in libris adhibetur præpositio: aliud à libertate, sed
eam codices m. s. respuunt.*

fol. 140. *Vt mediis fidius verear Maxime, quique in
consilio estis, ne demissum & subornatum à me
accusatorem putetis.*

Fortean in antiquis fuerit, ne eimissum.

fol. eod. *Verum enimvero vasis frustrationibus nup-
tias eludit eo ad, dum puerorum anus fato con-
cessit.*

Ita verba interpungenda, nec ordo eorum mutandus, quòd veteri

veteribus nō displicuerit istiusmodi vocum anastrophe, eo ad ad-
quo, ea propter, &c.

fol. 142. *Nam Pontianus acceptis litteris matris confes-
sim Romam aduolauit.*

Hic somnus forte obrepit operis in opere non longo, & quod
magis mirere, propagatus error per omnes editiones, quem tol-
lo, *confesim Roma aduolauit.* mater enim filium ad Tripolitanae
prouinciæ ciuitatem Oëam, Roma suis litteris euocauerat; ex I-
talia in Aphyricam.

fol. 143. *Multis etiam precibus me ab amicis meis
Appijs aufert, ut sese domum matris suae
transferat. salubriorem mihi habitationem
futuram. praeterea prospectu matris, qui mihi
gratis est, liberius me ex ea fructurum.*

Quin scribamus, ut secum domum matris suae transferat, cum
& posteriora in hunc modum mutemus, *liberius me ex eo fructu-
rum.* vsurpauit, ex eo, pro, exinde; ex eo tempore. quod non possunt
ignorare iuris studiosi. nam ita solent Prudentes loqui, quibus
vlti quoque *fructus, fructurus, pro fructus, fructurus.* testes mihi
leges, & fragmenta Senatusconsultorum veterum. Festus,
Lucretius, alij. Manifesta menda in scriptore Panegyrico. vbi
legitur, *fructurus exinde luce perpetua.* debet enim restitui, *fructu-
rus exinde l. p.*

fol. 145. *Per paucis hominem quam modestissime potero
necessario demonstrabo. Nisi omnino de eo reti-
cuero, operam perdiderit, quod negocium istud
mihi ex summis viribus conflauit.*

Mutuo leuiter interpunctionem & scripturam, *demonstrabo: ne
si omnino de eo reticuero.*

fol. eod. *Olim solers suo, nunc coniugis corpore vulgo
meret.*

Vt opinor, Plautino verbo, *solere.* quod obscænum, & in
re Venerea vsitatum diuersi iam monuerunt, scribo igitur, *olim
solens suo.*

fol. 146. *Pleraque tamen rei familiaris in nomen u-
xoris callidissima fraude confert: ipse egens,
videtur.*

Fraudem istam Rufini norunt quoque nostri temporis mercatores, quas videmus vxores domum ducere dote lauiore interdum, quàm vel maritus accipere dignus sit, vel socer potens persolvere. Caterùm dos illa, ne quid erres, non in alio, quàm in vna tabula ferè consistit. venit vxor cum mille : at tabulis decem millia continentur, vt nimirum, si foro cedendum sit ; creditores frustrentur. vxor pecuniam dotis nomine conseruet, ipsa cum marito pudorem amittat. facit huc l. quamuis 75. ff. de iure dotium.

fol. eod. *Vt crederes metuere, ne quid habere ex fraude paterna diceretur, homo iustus & morum dedit operam, quòd male partum erat, vt male periret.*

Quod locum istum Beroaldus stigmatiam fecerit, factum nõ iniuria. vide si bene reposuerim, *homo iustus ex more dedit operam.* Infra hac eadem apologia simili formula dicitur : *litteras matris Pontianus ex more adseruauit.* Frequentatæ bonis auctoribus formulæ multæ non absimiles. qualis : *More maiorum, sine more, malo more, nullo more.* de quibus ego alibi, *more Romano.* Cicer. lib. VII. famil. epist. v. & epist. xviii. Itidem supra apud scriptorem hunc, *more perpetuo. contra bonos mores.* apud alios alia.

fol. 149. *Ordinem repetiuit eundem, quem ego paullo prius longa viduitate. de remedio valetudinis. de voluntate nubendi.*

Necessario scribendum, *de longa viduitate.*

fol. eod. *Omnes isti quos nominavi, si cum hac vna Rufini fallacia contendantur, machi prorsus & bochones videbuntur.*

Scribo, *macci & buccones.* conuicia sat nota, vel ex solis fabulis, quas plures vtroque illo nomine inscripsit vetus poëta Pomponius, Afranius, Nonius. etiam Plautum memini vti. sed quia is ad manum non est, versus nequeo adscribere. Iteratum ab Apuleio conuicium repono infra hac eadem oratione : *quid illi existiment nacti non putabo, possit legi, nauici non putabo. mihi tamen plus arsi sit, quid illi existiment macci. non putabo.*

fol. 150. *Nemo erat qui pro me ferret ac sic responderet. totam sodes epistolã cedo. sine omnia inspiciam. principio ad finem perlegam.*

Scripterat vxor Apuleij ad Pontianum filium, imò acriter obiurgarat, quòd eundem, quem paullò ante omnimodò commendasset, nunc Rufini impulsu, vt magum diffamaret, has litteras nactus Rufinus, eam partem, quæ de maleficio agebat, cuilibet ostendit: quæ suprâ, & infrâ adscripta erant, occultauit. qua re magnam sibi apud imperitos inuidiâ concitatam Apuleius queritur. neque vicissim fuisse, qui eius partes tuerentur. hinc ego ex mente illius putabam scribi posse, *nemo erat qui pro me staret.* verbo altercationibus percommodo.

fol. 153. *Nunquam matris tuæ litteras attigisses, si vllas attigisses, ad quam ausus es tuam ipsius epistolam legendam dare, quàm nimis irreuerter.*

Non me fugit sententia, quæ ex verbis istis elici possit. perplacet nihilominus coniectura, etsi diobolaris, *attigisses. at quàm ausus es.* quasi audaciam & impudentiam istius facti reprehendat. D pro T immigrasse suspicor & loco sequenti, verbo extremò: *hic qui epistolam Pudentillæ Græciorem legere non poterat, hanc vt suam facilius legit, & aptius commendauit.* nã vt ego scriptoris mentem perspicio, harum litterarum (quòd ipsemet illas concinnasset) non lectorem modò; verùm & interpretem, & quasi commentatorem probum fuisse.

fol. 158. *Longa dote & molli conditione inuitasset iuuenem.*

Dubito verius ne sit, *larga vel lauta dote.* illud mihi pro certo est, rectè me emaculasse quod subsequitur, *sive illa morte amisit maritum, vt scæui hominis mulier & infausi coniugij minimè appetenda.* rectè inquam emaculasse, *scæui ominis mulier.* de quo ego supra. & Festus in *Scæna.* vel hoc modo, *læui ominis mulier.* omen læuum, numina læua dixisse veteres, inter alios, testis locuples Arnobius.

fol. 159. *Hæc ab inuita Pudentilla eorè exauditis, ingentibus precibus, inuite & iratè extorsit.*

Fallor ne an dixit Apuleius *inuite, & ingratè extorsit* id ea significatione, qua Plautus, Terentius, & ipsemet Apuleius secundo de asino posui, *ingrat Is.* Simili locutione & *ingratus*, pro inuito, Apuleius vsurpauit vi. de asino: *Tunc ingratus ad promptum recurrit exitum.* Donatus, *ultronea*, inquit, *grata sum, ingrata: quæ ab ingratis sunt, ac recusantibus.* Apuleius lib. tertio de asino: *Euielus tadem necessitate subcumbo, & ingratus licet, arrepto pallio retexi corpora.*

fol. 161. *Quid posses, vel quas quis in isto negotio accusare? Pontianus ipse quod à matre donatum acceperat, meo muneri acceptum ferebat.*

Non me hic extrico. expedire has tricas videbar posse hac ratione: *quid posses, vel quos queres in isto negotio accusare?*

fol. eod. *Litteras plenas honoris, plenas amoris quæso Maxime paulisper recitari sinas, ut sciat frater eius accusator meus, quàm in omnibus Minervæ curriculum cum fratre optima memoria viro currat.*

Discrepant hæc, ut ego sentio, ab iis quæ de utroque priuigno Apuleius & narravit, & narraturus est. Pōtianus vitricum dominum, magistrum appellabat: Pudens ut magnum & maleficum accusabat. ille & Græcè & Latinè bene doctus; hic tertiatis verbis animi sensa exprimere vix poterat. ille ad magistros frequenter ibat, hic sæpius inganeum, & ludum gladiatorium. quæ de Pudente Apuleius paulo ante recitavit, ea Philippus Beroaldus sic emendare conatus est, *cum fratre optima memoria viro occurrat, cæterum, meo animo, non potius destinato. si veteres libri iuarent, legerem, quàm in faustis omnibus Minervæ curriculum cum fratre optima memoriæ viro currat.*

fol. eod. *Testamentum Rufinus neque cōparari, neque perfici passus, etiam pudore perdita hereditatis, quàm paucorum mensium, quibus socer Pontiani fuit.*

Qui me audiet, vocè distracta interpunget, neque perfici passus est, tam pudore perdita hereditat. quàm, &c.

fol. 162. *Fauet enim Rufino AEmilianus, & prouentum cupit.*

Elegans is sermo, nec mirum, quia Plautinus: apud quem eundem reperias bis terve in vna Truculento atqui bene profecisse, rectè prouenisse dicuntur, qui re, vel liberis aucti. in malam quoque partem sumi Nonius ostendit. Apuleius lib. x. de asino: *at ille nequam ut posset de me suauè prouenire, lucro suo tantum contentus annuit.*

fol. 164. *Qui ibi plurimas contumelias dixit coram.*

Germana scriptura, qui tibi, ac non multo inferius: hæc tabulas *Maxime, hic ibidè pro pedibus tuis abiicio. in aliis est, adicio. proinde antehac*

Antehac non animaduersum, quæstorem publicum diuersimodè eadem hac pagina nuncupari Coruinum Celerem, & Coruinum Clementem. quod monete debuerant, qui paullo post in maleficio, pro *carminibus*, substitui volebant *cantaminibus*. immemores forte istius Virgiliani quarto Æneid.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes.

Item aliorum eiusdem poëtæ, ecloga octaua, & alibi.

fol. 166. *Lucrum sectatus es dotis? dotalem accipe, donationem recordare, testamentum lege.*

Emendandum censui, *Lucrum sectatus es? Dotis tabulam accipe.* in quo rectè & ordine fecisse me conuincunt ipsa hæc Apuleij, non ita multis abhinc versibus præmissa, *Diuitias saltem concupierat? negant tabula dotis, negant tabula donationis, negant tabula testamenti.* Quod superest, id mihi nunc faciendum video, vt promissa scilicet appareant de iis, quæ mecum communicanda putasti. Quærebatur originem vocis in responso Ulpiani. I. cum hic status. §. si diuortium. D. de donat. inter virum & uxorem, his verbis, *quod si diuortium non intercesserit, sed frigusculum, profecto valebit donatio, si frigusculam quæ Bit. in libris m. f. modò est, frigusculum; modò frivuculum: modò friuuculum, vide sitne germana scriptura frivuculum, quod valet friuuculum; voce deriuata à friuo, & friuolo. quo modo pro vnguento, dixisse antiquos vnguen, vinctum, vinctulum, & inde porro diminuisse vinctiusculum, testes mihi Apuleius libro III. & Plautus Pseudulo. Nunc quòd locum suspectabas in consuetudinibus feudorum, titul. quibus modis feudum amittatur, id pariter mecum fecisti. clara enim, & liquidæ sententiæ interpretatio; fons verbi obscurus. in his scilicet quæ dicam: *Item si seruus cucurbitauerit dominum, id est, cum uxore eius concubuerit.* Certè ad meum sensum, ista cucurbita hic intrusa videtur, alia voce eiecta. quam vide quæso an inuenerim, qui lego, *carrucauerit dominum.* meministi scio, quæ de carruca aue veteres, & nostri hodie in emblematis tradant. cuculum videlicet in nido illius oua parere; hanc illa fouere, incubare, & exclusos inde pullos educare. quinimò coniugem mœchæ poëta Iuuenalis carrucam vocat. Sartyra vi.*

Tu tibi tunc carruca places.

Denique carrucandi vocabulum absurdum non videbitur his, qui in memoriam redibunt Varronem & alios dixisse: *eunuchare seipsum; galeare puellam; brachium clypeare.* alia mille pari phrasi. Sartyras Persij, in quibus tu seip. causa desudasti, legi, relegi. notabam inibi hos versus Sartyra secunda:

*De Ioue quid sentis? est ne ut præponere cures
Hunc cuiquam? cui nam? vis Statio? an scilicet heres
Quis potior index purisue quis aptior orbis?*

quos de coniectura interpungere, atque rescribere conor:

———— an scilicet heres
Quis potior? vindex puerisue quis aptior orbis.

Tutorum munus mihi considera, & quæ illis occasio ex rebus
alienis augendi, adipandi res suas tum illud nobis steter, inter bonos
bene agier. Vale, & si quid hæc tibi placeant, rescribe.



SEQVNTVR LOCA

ALIQVOT L. APVLEI

A GODESCALCO STEVVECHIO

ALIBI EMENDATA.

In Commentario illius ad Fl. Vegetium.

LIB. III. de Asino: *Exanimatum ad debilem mereri causa remissionem. Emen. causariam missionem.*

Lib. II. de Asino: *opera fabrilis egregius ille signifer. Emen. signifex hoc est, qui simulachra, signa conficeret.*

Lib. II. Floridor. *Interim disire, neque Philæmon ad conditum venire. Emen. ad conditum. scilicet tempus.*

Lib. VI. de Asino: *his editis inuolat in eam. Emen. his edictis, hoc est, palam pronuntiatis, enarratis.*

Lib. II. de Asino: *Chaldeus quidam hospes miris totam ciuitatem responsis, turbulenta, & arcana stipitibus emerendis edicit in vulgum. Emen. miris totam ciuitatem responsis turbulenta, arcana.*

L. APVLEII EMENDATIONES

IN CONIECTANEIS STEVVECHI AD

Sex. Iulij Frontini Strategemata.

LIB. VIII. de Asino: *Tinnitu cymbalorum, & sonitu tympanorum, cantusque Phrygi mulcentibus modulis exercitus, procurrit obuiam. Emen. mulcentibus modulis exercitus, procurrit obuiam.*

Lib. II.

- Lib. II. de Asino : *Mittit mihi Byrrhena , xeniola porcum optimum
Emen. porcum opimum.*
Lib. eodem. *Non paruas stipes, imo verò mercedes optimas iam consecutus. Iterum emen. mercedes opimas.*

EMENDATIONES IN APV-
LEIVM , QUARVM RATIONEM GOD.
Stevvechius, Deo fauente, aliquando
redditurus est.

- LIB. X. de Asino: *At ubi completis igne vesano totis præcordiis immodicè bacchatus amor exæstuabat , sciuenti Deo iam succubuit. de langore simulato, vulnus animi mentitur in corporis valetudine. Emē: mentitur corporis inualetudine. Vox inualetudo , ter apud Ciceronem, item aptid Tertullianum, & alios.*
Lib. de Deo Socratis. *Vsq̄ ad regni mutabilem suggestum, & pendulum tribunal euectus est. Emen. mutabilem suggestum.*
Lib. eodem. *Quod cum omnes facile respiciant, nequeo satis mecum reputare, & perinde, vi res est, admirari. Emen. perspiciant: exputare: adhibe Ciceronem lib x. epist. xxiv.*
Lib. II. de Asino: *Quàm inuita discederet vultu prodidit. denique sapè retrorsa respiciens substitit. quod bonum, sælix, & faustum sit, itaque insalutare non erit. Gabrieli Rolandio amico adsentio, emendanti, respiciens subdidit. Quod bo.*
Lib. III. de Asino: *Veneris & Gratiarum locum illum putabant, cuius inter opaca. Emen. lucum illum.*
Lib. I. Floridorum. *Cum aliquis lucus, aut aliquis locus sanctus oblatus est. Emen. aut alius locus. Ouidius:
———— sanctis & verba minantia lucis. adhibenda I. Sanctum: ff. de rerum diuisione.*
Apologia II. *Quippe ut solitudinis tedium [perpeti] posset; tamen aegritudinem corporis ferre non poterat. Superfluum arbitror, rō perpeti.*
Apol. eadem. *Epistola ad Prudentillam scilicet, per aliquem fidentem missa, ut in re tali {actitari} solet. Adulterinum cenfeo illud actitari.*
Lib. VIII. de Asino: *Ergo passim prostrati solo, primùm fatigatos animos recuperare, ac dehinc vulneribus medelas varias adhibere festinant; hic errorem præterfluentis aquæ rore diluere; ille spongiis macidatis*

tumores comprimere. Verbum festinant, hominibus ineptis red-
damus.

Lib. ix. de Asino: Summa prudentiæ virum monstrare cupiens, multarum
civitatum obitu, & raviorum populorum cognitu, summas acceptum
virtutes cecinit. In codicibus vetustis fuit, summas apium virtutes,
à verbo apiscor, quod in l. i. ff. de acqui. possessi.

Lib. eodem: Eosque varis agressi vulneribus distrahunt, ac lacerant,
nec fugientibus saltem compeſcunt, sed eò magis irritatiores sequuntur.
Dicta de canibus, necessario rescriben. comparant.

Lib. iiii. Floridorum: Cohibent cursum, reuelant gradum, retardant e-
quum Fortean, repedant gradum. De repedandi verbo nos ad Ve-
getium: & Nonius.

Lib. ii. de Asino: Pamphile, magna primi nominis, & omnis carminis
sepulchralis magistra. Emen. maga primi nominis.

Lib. iiii. de Asino: Victimis & epulis Veneris absentis nomen propitia-
tur. Corrigo, numen propitiatur.

Prima apologia: Non tam purgandi mei gratia, deleo, gratia, vt glos-
sema.

Lib. iiii. de Asino: Vt nouitas consuevit ad repentinas visiones animos
hominum pellere. M. iiii. animos hominum impellere.

Lib. i. de Asino: Fabularum quoque serie fati. am, in verba media
somnia desinere, ac nec quicquam defectum iam incerta verbo-
rum salebra habuit. Emen. nec quicquam decelatum iam. Plaut.
Aulul. animum defæcatum appellat.

Lib. eodem: Ante portam proiecta domo discedit.
Emen. defedit.

Lib. ii. de Asino: Quid cum frequenti sobole Spiritus cumulat verticem.
